HISTORIÆ
LITVANÆ

A coniunctione Magni Ducatûs cum Regno Poloniæ ad VNIONEM eorum Dominiorum.

LIBRI OCTO

AVCTORE
ALBERTO WIIVK KOIALOWICZ
SOCIETATIS IESV S. THEOLOGIÆ DOCTORE.



ANTVERPIÆ
Apud IACOBVM MEVRSIVM
ANNO M. DC. LXIX.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CASIMIRO IOANNI
SAPIEHA

COMITI IN BYCHOW

Magni Ducatûs Lituaniæ, Curiæ Theſaurario,
Breſtenſi, Volpenſi Capitaneo &c.

DOMINO ET PATRONO

COLENDISSIMO.

POſteaquam priorem Hiſtoriæ Lituanæ partem CASIMIRO LEONI SAPIEHA M. D. L. Procancellario, Heroi æternâ me-

moriâ digniſsimo, Patruo Tuo, dicaui: huic alteri in publicum prodeunti, non potui quærere Patronum, alium à Te Illuſtriſsime Domine; vtpotè ſanguinis propinquitate, Nepote; affectûs & luſtralis Fontis iure, Filio; non tantum Nominis, ſed etiam propenſionis erga bonas artes, Hærede. Quæ me ad Sapiehanæ domûs venerationem momenta ante inclinârunt: eadem nunc, ne ab eâ declinem, impellunt. Quemadmodum enim ſub initia exardeſcentis per Ruſsiam ſeruilis rebellionis, Res Lituana, præſidijs Patrui Tui, vnicè ſeruata eſt: ita hiſce annis, Illuſtriſsimo Pa-

renti tuo PAVLO IOANNI SAPIEHA, Palatino Vilnenſi, Supremo Lituaniæ exercituum Duci, potiſsimùm debet; quòd cùm coortis ab omni parte hoſtibus validè in ruinam nutaret; non omninò corruerit. Palmaris hæc eius gloria, non à palpantis calami vbertate, ſed è vero nata, pridem vniuerſam Europam occupauit. Tuam hîc, Illuſtriſsime Domine, diuturnam extra Patriæ limites peregrinationem, teſtem appello. Multas vrbes, ac prouincias acceſsiſti: nullam tamen reperiſti, ad quam Te Parentis Tui admiratio, non præceſſerit: vidiſti, audiſtique plurima; ſed pauca om-

ninò, quæ non fuerint infra Parentis Tui Famam, concordi populorum plausu, non ex vano, neque supra meritum, celebratam. Quantò latiùs per orbem, ante decennium [a] ,de Republica nostra conclamatum fuerat: tantò grandior, certiorque laus seruatæ Patriæ, Parenti Tuo constat. Deploratissimus siquidem eâ tempestate, Lituaniæ status erat. Latera ab omni simul parte, finitimorum armis quassabantur: viscera dissidijs, factionibusque ciuium, fatiscebant: Rege temporum se iniuriæ extra Patriam tantisper subtrahere coacto; nemo ad gubernaculum erat. E duobus militiæ Lituanæ

[a] Anno 1655.

næ Ducibus, Supremus, re, quam perditam putabat, desertâ, sub noua imperia concesserat: campestris, sub potestatem collegæ redactus, nihil suo iure agere poterat. Supererant quidem exiguæ, militis saniora consilia secuti, reliquiæ, quiduis pro aris & focis, ausuræ: Sed neque neruum, neque caput, bello gerendo, habebant. In tanta publicæ rei calamitate, Parens Tuus omnium votis, studijs exercitûs, nobilitatis suffragijs, auctoritate Regia, Palatinus Vilnensis, & supremus Lituanæ Militiæ Imperator dictus, se in Ducem belli, Fortunas omnes in neruum, pro Rege & Patria

Patria deuouit. Quamobrem ſicut longè laudabilius æſtimatur, inueniſſe; quàm inuentis addidiſſe: ita quamquam nemo negauerit, non defuiſſe viros Regi fidos, Patriæque amantes, qui erigendæ Reipublicæ humeros ſuos admouerint; hanc tamen ſupremam Gloriam, quòd iuuandæ illius curam, infinitis implicitam periculis, profuſis ægrè explicandam ſumptibus, *Primus* Sapiehano animo ſit aggreſſus; *Solus* ſibi optimo iure vendicat. Peruetuſtam, nulliſque caſibus ruptam, in Maiorum ſuorum Domo, Fidei in Patriam & Principem conſtantiam, non eſt paſſus, aut hoſtilibus artibus,

bus, aut ciuium exemplis, labefactari. Graſſanti impunè Moſcho, *Primus* aperto campo ſe ad Breſtiam [b] obiecit, atque exigua manu Oruſouum, cum octodecim millibus illi Prouinciæ impendentem, profligauit. Vtinam verò miles, quàm fidus Patriæ ſemper fuit, tam deinceps, à victoriâ moderatiore animo, Duciſque imperijs obſequentiore, ad Wierzchowvicze [c] fuiſſet! iam tunc, Parentis Tui ductu, exactus Lituaniâ totâ hoſtis, pacata omnia reliquiſſet. Ad nuncium Regij in Ruſsiam reditûs, Primus in occurſum Lituana ſigna duxit, atque Succum Lubli-

[b] 23. Nouemb.

[c] 27. Nouemb.

ē   no

no depulit. Primus Varſauiam, nuper Poloniæ Regum ſedem, tunc hoſtilium optimatum domicilium, armatis [d] cinxit: quo facto & Sueticis capitibus Vitembergio, Oxeyſternio, cæteriſque conſiliorum adminiſtris, euadendi ſpem præcidit; & ciuitatis arciſque obſidionem, ſuperuenientibus Regijs copijs, expeditiorem reddidit. Oppugnatio ſubſecuta, ſemper eius conſilia, impenſas, operam, in parato habuit. Ea ipſa militaris famulitij audacia, quâ arrogans, pertinaxque hoſtis, fractus eſt, atque ad deditionem compulſus, magnâ parte, vires animumque, à Parentis

d Anno 1656.

tis Tui exemplis, ac largitione, ſumpſit. In pugnâ ad Varſauiam, [e] in qua Suecus cum Brandeburgico, aliquot cohortium impetu, loco motus, fronte aciei & tormentariâ re, deſertis, fugam non obſcurè reſpectabat; non ampliùs animum & prælium reſumpſiſſet: ſi per tibiæ ante paucos dies confractæ dolores, Parenti Tuo campo inuehi, auxilia ordinare, gladio, pro more ſuo, victoriam vrgere, licuiſſet. Quàm integer illi in ægro corpore animus conſtiterit; argumento poſteris erit: quòd breui perfecerit; ne hoſti ex depulſis campo Regijs copijs voluptas diuturna eſſet. Mi-

e 31. Iulij.

ẽ 2 râ

râ enim celeritate, ingentique sumptu, attrita reparauit signa: atque, cùm ipse ægritudine excluderetur à campo, Collegæ ductu, suis auspicijs, hostem ad oppidum Prostki, insigni clade fudit [f], castris ac impedimentis exuit. Post Philipouiensem cladem [g] rursùs exercitum reparauit: atque resumptis aliquantùm viribus, ipse, Tykocinum duxit. Obtinebatur locus ille, firmo Suecorum præsidio, quod terna propugnacula, vallo, operibusque, trium instar diuisarum arcium, permunita, atque tormentis instructa, insederat: vnde vicinas Prouincias, Mazouiam ac Podlachiam, grauissimis

f 4. Octob.

g 21. Octob.

simis

simis excursionibus, infestabat. Obsidio eius nuper ab alijs, irrito, ne dicam, damnoso conatu, tentata, pertinaciam hosti auxerat. Verùm à Parente Tuo, simul vndique admota vi, intra pauculas horas [h] succubuit eius fortitudini: cuius clementiam pridie reiecerat. Inde per Tribunos suos, Prussiam Sueticas partes secutam, latissimè euastauit: quo consilio, vires hostium in se auertendo, Regi iter Dantisco in Poloniam apparanti, securitatem muniuit. Nouo, à Transyluania exorto bello, legiones, quòd nulla illis è publico stipendia numerarentur, militiam detrectantes, in obsequio

h Anno 1657. Febr. 1.

de

de ſuo continuit: atque modicâ recreatas quiete, in hoſtem mouit. Naruiâ & Bugo ſuperatis, Ianouiam, Mielnicum, cæteraſque Podlachiæ arces recepit: præſidij Breſtiæ impoſiti excurſiones ſtitit: Lublinenſem oram hoſtibus eiectis vindicauit. Rakotzio Viſtulam ad Zavvichoſtum tranſgreſſo, atque extremam vaſtitatem, viciniæ omni, ferociter minanti, caſtra ſua oppoſuit: equitatûs populabundi per obuia graſſationes caſtigauit, repreſſitque: auxilia Zaporouiorum, humanitate ac liberalitate ſuâ, Lituano nomini deuincta, à Tranſyluano auertit: vniuerſum totius exercitûs

citûs hoſtilis robur, ſolido triduo, feliciter ſuſtinuit: denique inſtructâ pro caſtris modicâ ſuorum manu, hoſti victoriæ confeſsionem extorſit. Quid enim aliud erat Rakotzium ſummam rei aperto prælio credere non audere? exercitum numeroſum, abſque certamine, ex acie priorem deducere? quàm, victum ſe fateri. Abeuntem verò, aut potiùs fugientem, conſtanter inſecutus, à lateribus excurſores cædendo, cohortes tardiùs procedentes intercipiendo, impedimenta diripiendo, tantâ Tranſyluanos afflixit clade: quantam illi, cùm ſe pugnæ ſubtraherent, timuerunt. Parte copiarum

copiarum equeſtrium, duce fortiſſimo Tribuno Alexandro Polubinski, trans Viſtulam miſſo, plurimùm contulit, vt [k] ſemel iterumq; Tranſyluanis à Polono milite cæſis, intra paucos dies integrè debellaretur. Digreſſus è caſtris cum ſuo domeſtico comitatu, equeſtrem Haſtatorum centuriam Breſtiâ ad Tranſyluaniæ Principem tendentem, quàm animosè inuaſit, tam fortunatè deleuit. Verſis deinde in Moſchos armis, ſub conſpectu hoſtium, haud procul Vilnâ [l], caſtra fixit. Legatorum Regiorum ſecuritatem, atque in ijs Regis ac Reipublicæ Maieſtatem, ſub lubrica per-

k Iul. 11. & 22.

l 1658. in Oct.

iuræ

iuræ gentis fide in ancipiti poſitam, ſeruauit: deſtinatas à Georgio Dolhoruki in profundiorem Lituaniam excurſiones ſtitit: auxilijs è Moſchouiâ venientibus, viam ad Miedniki præcluſit: ipſum Ducem, cum exercitu, Moſchouiam fugientis ſpecie repetere, coëgit: Minſcum admotâ per Legatum ſuum vi, hoſti eripuit. Curoniam dolo vicini Sueci interceptam, per ſuas copias iniuſto poſſeſſori [m] ademit, Reipublicæ aſſeruit. Andream Chovvanski Moſcum, ingenio ferocem, ſucceſſuum nuperorum memoriâ audacem, quatuor ſupra viginti armatorum millibus præſidentem, col-

m 1659.

latis,

n 1660. Iun. 28. latis ad Polonkam ſignis, n profligauit: atque eodem curſu triumphali, caſtris hoſtilibus à pugna loco per aliquot leucas diſsitis, Victor inuectus, Arcem ſui iuris Lachovvicze, nullius hoſtis poſſeſsione violatam, trimeſtri oppugnatione fatigatam, ſuis & Reipublicæ vindicauit. Promoto deinde trans Boryſthenem exercitu, alterum hoſtilium copiarum Ducem Georgium Dolhoruki, (qui magis metu quàm vallo exercitum ſuum ad fluuium Baſia clauſerat) infeſtis incurſionibus in apertum elicuit, auſumq́ue aciem ad prælium inſtruere, toto

o Octob. 8. equitatu o mulctauit. Verbo rem complector.

complector. Quidquid redux in Patriam, aut ſeruatum aut reſtitutum per Lituaniam reperiſti: totum id integrè, Parenti Tuo ante alios, debemus vniuerſi; debebitque poſteritas, illum verè Patrem Patriæ æternum prædicatura. Hæc, aliaq́ue, Parentis Tui ampliſsima erga Rempublicam merita; Aui item Tui IOANNIS SAPIEHA, triginta victorijs, Triumphatoris Moſchouiæ titulos prætergreſsi, geſta, explicatiùs tertia Hiſtoriæ pars datura eſt: intereà tamen accedenti Tibi ad Rempublicam, præclaris Maiorum Tuorum conſilijs, atque factis firmatam & auctam; Sapiehanæ Do-

ĩ 2 mûs

mûs gloriam, in Parentis Tui pro Deo & Republica intra decennium actis, sub compendio strictim reuocare libuit; vt ad magna aspiranti, Maiorum vestigia præ oculis essent. Sequere igitur Duce Parente Maiores Tuos: perge ad summa Sapiehanis passibus: imple spes omnium, atque inprimis Nomen SAPIEHÆ, quod semper in Hostes fulmen, pro Patria scutum, audijt, fuitque. Hoc ego, priuatus quidem, voueo, sed ex publico bonorum sensu, ac præsertim parentis meæ, minimæ Societatis IESV: quæ prius quàm potuisset suis officijs, debitam Tui Nominis venerationem,

tionem, testari; iam te Sapiehano præiudicio Patronum suum experitur: atque vt eo deinceps fruatur glorieturque, se atque sua pro Tua incolumitate, atque felicitate, mecum deuouet.

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Cliens indignus

ALBERTVS WIIVK
KOIALOVVICZ.
Societatis IESV.

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra scriptus Societatis Iesv, per Prouinciam Lituaniæ, Præpositus Prouincialis, potestate mihi ad id factâ ab Admodum Reuerendo Patre Nostro Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali, facultatem concedo, vt, Historiæ Litvanæ pars altera, à P. Alberto Koialowicz scripta, & ab aliquot eiusdem Societatis Theologis, reuisa ac approbata, typis mandetur. In quorum fidem, has literas manu mea, & consueto Officij sigillo munitas, dedi. Grodnæ 9. Septemb. Anno Domini 1663.

Ioannes Rywocki.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

R. P. Alberti Wiiuk Koialowicz S. Iesu Presbyteri S. Theol. Doctoris Historiæ Lituaniæ pars altera à RR. PP. Societatis Iesu ad hoc deputatis examinata, poterit typis excudi & publicari, vtpote nihil continens quod fidei Catholicæ Romanæ aduersetur. Datum Antuerpiæ 26. Iun. 1668.

Avbertvs vanden Eede
I. V. L. Protonot. Apostolicus Canonicus & Archidiac. Antuerp. Libr. Censor.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS Dei Gratiâ Hispaniarum Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis librum, cui titulus est, HISTORIÆ LITVANÆ pars altera Auctore R. P. Alberto Wiiuk Koialowicz Societatis IESV, citra Iacobi Meursij Typographi Antuerpiensis voluntatem vllo modo in Belgio, intra nouem annos proximos, imprimat, aut alibi terrarum impressos in has inferioris Germaniæ ditiones importet, sum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemúe habeat. Qui secùs faxit confiscatione librorum, & pro singulis exemplaribus peregrinis huc illatis, triginta florenorum pensione multabitur: vti latius patet in litteris datis Bruxellæ, die xx Aprilis, Anno M. DC. LXIX.

Signat.

LOYENS.

HISTO-

HISTORIÆ LITVANÆ PARS ALTERA

DE REBVS LITVANORVM

Post coniunctionem Lituaniæ cum Poloniâ, ante vnionem earundem gentium.

LIBER I.

DE REBVS LITVANORVM

An.Dom. 1387.

Sub Principe Casimiro I. Skirgelone.

Casimirus Skirgelo M. Dux Lituaniæ creatus.

MVtatâ nuper Reipublicæ formâ, cùm Poloniæ sese adiunxêre Lituani; tranquillitas Lituaniæ, Principis sui in Regem Poloniæ fide, maximè consistebat: atque eo fortè imprimis respectu CASIMIRVM Skirgelonem sibi suffectum, Magnum Lituaniæ Ducem, Rex IAGELO, renunciârat. Quamquàm enim inconstantiore animo, repentinisque in ferociam affectibus, CASIMIRVS esset:

à na-

An. 1387 à natura tamen procliuis in ea vitia, quæ otio aluntur, illi genius, non vanam ſpem faciebat; pronius fore, vt recentem illam ſupremi Magiſtratûs poteſtatem, magis in luxus materiam, quàm in occaſiones nouandarum rerum inſumat. At, quæ humanorum conſiliorum ratio eſt propè perpetua, vt quæ tanquam optima eliguntur ab ignaris futurorum, plerumque malorum fontes contineant: tandem ea ſpes, ingentibus diſpendijs Lituaniæ conſtitit. Nam licet Caſimirus Romanis ſacris, ſimul cum Rege fratre, Cracouiæ initiatus fuiſſet; nihilominus inſtituto Ruſſorum, inter quas adoleuerat, Græcis ritibus addictior, Catholicæ religionis apud ſubditos populos promouendæ negligens, curam eam aut omnino dimiſerat, aut ad poſtremas relegârat. Neque intentior in eam Reip. partem, quæ ciuilia negotia complectitur: dies ſolidos per commeſſationes ducere ſolitus, cùm ex crapulâ raro ſibi ſufficeret, publico propè nunquam par erat. Conuiuiorum exitus, plerumque cædibus funeſtabat: nam aut longè ante conceptas ſuſpiciones feralibus inter calices ſententijs in capita, vindicabat; aut ſi quæ fortuitò ad menſam offenſæ occaſio dabatur, ipſe per ſe repentino ictu aliquem conficiebat: quo mortis genere, multi familiarium Principum leuiſſimas cauſas luerunt.

Remp. & Religionẽ negligit.

Vitoldus rebellat Caſimiro.

Ab his vitijs, meritò plurimis inuiſus proceribus, Vitoldo vltra commune odium, prætenſionem nouorum motuum dedit. Agebat is Luceoriæ, vir animo ingenti, neque minore ambitione: atque hinc non tam ad vitia Caſimiri, quàm ad dignitatem eius moderatè ferendam, plane imbellis: penſabat tacitus, ſua in Iagelonem, & Lituaniam merita: quæ vt magna certè erant, ita maiora apparebant oculis affectu vitiatis. Poſſidebat quidem Iagelonis beneficio ampliſſimas Prouincias, Samogitiam, Podlachiam, Poleſiam, partemque præcipuam Volyniæ: ſed hæc infra merita æſtimabantur, quia infra votum erant, ſupremam Lituaniæ Præfecturam, tituloſq; Magni Lituaniæ Ducis, ambienti. Dolere itaque ſe ea ſpe deluſum, quâ ante aliquot annos oſtentatâ, ad amicitiam Pruſſorum eiurandam, illectus fuerat. Ab eo dolore, ſimul irâ in Iagelonem, & inuidiâ in Caſimirum plenus, bellum moliri cœpit, occupandique Principatûs conſilia. Augebat animos, quòd & palàm multos factioni acceſſuros, & priuatim facinus ſuum nemini procerum non probandum ſperaret. Quę enim omnis rebellio meritò damnanda habet, ea populus odio aut metu Principis obcæcatus, aut difficulter perſpicit, aut facilè diſſimulat.

Vilnam conatus occupare reijcitur.

Initium motui ſumptum ab inuaſione Vilnæ: quæ vrbs, & genti vniuerſæ caput, & Magno Duci ſedes. Gerendæ rei opportunitatem aperuerat Caſimiri abſentia. Polociæ enim, qui locus leucis quinquaginta Vilnâ diſtat, Caſimirus verſabatur. Vitoldus ratus per Principis abitum negligentiùs res Vilnæ adminiſtrari, cum modicis copijs, raptim lectis, Vilnam aduolat. Ingreſſu arcium à præſidiariis prohibitus, vim ſemel, iterumque adhibet: ſed vtraque vice à ciuibus & Polonis, quibus

An. 1387 quibus præsidium constabat, reiectus est. Vbi astus frustra fuit, proditis iam consilijs, ad apertum bellum comparandum necessitate ipsâ deuenit: certus, & Casimirum arma contra se correpturum,& Iagelonem Regem auxilia è Poloniâ maturaturum. Podlachiâ,ac Polesiâ, quàm maximè poterat, munitis, valida ex Germano milite præsidia, per Grodnam, Surazum, Brestiam, Cameneciam, aliasque arces partitus, ipse cum coniuge, familiâ, pretiosiore supellectili, suæque factionis capitibus, in Mazouiam, ad Ianusium, & Semouitum Duces, affines suos abijt. Ab vtroque ita acceptus est, vt ingratum hospitem se esse non difficilè sentiret: sic enim illi sua in profugum officia temperabant; vt metus, incuriosè celatus, latere non posset, quo & ab inquieto Vitoldi ingenio, & ab offensâ regiâ sibi prouidebant, intenti, ne ancipiti surgentis belli causæ, res suas aliquo modo immitterent. Insanum enim profectò est, bella suis auxilijs inter eos populos alere, è quorum pace plùs commodi speres. Desperatis ab ea parte auxilijs, in aliam circumegit consilia Vitoldus: secundiorem votis suis portum quæsiturus, ad Prussos transijt. Ibi vti sperauerat, apud Conradum Zelnerum Ordinis Magistrum, consilijs suis stabiliendis, omnia expedita reperit. Quamquam enim Vrbanus IV. Pontifex summus, literis ante annum datis, tum Regem, tum Equites Crucigeros ad colendam mutuò pacem, grauiter fuerit cohortatus: Zelnerus tamen belli occasionem non illibenter arripuit. In speciem commiseratione exulis,

In Mazouiam fugit:

ex Mazouia in Prussiam.

exulis, quidquid bello opus esset, abundè offerebatur: An. 1387 cæterùm, quod res erat, cupiditate ac spe ditionis per Lituaniam proferendæ, miles sumptusque belli, satis promptè à Conrado addicebantur. In plano erat non dari, sed vendi auxilia, lucro omni tandem ad Crucigeros redituro. Primum eorum officium iacturâ Samogitiæ constitit: nam Vitoldo ab initio belli pecunijs egenti, non priùs trecenta millia *Koparum* (genus Lituanæ monetæ est, quod nunc sextam imperialis nummi partem quinquies continet) annumerata sunt, quàm vniuersæ Samogitiæ possessionem, pignoris nomine Crucigeris consignâsset.

Fœdere completo, ad infestandos finitimos Lituaniæ agros, bifariam prædabundæ immittuntur legiones, per Memenum è Prussia, è Liuonia per Dunam, fluuios. Graue bellum ab externis viribus, non tamen omnino formidabile; quòd sæpiùs ante Crucigerorum conatus Lituanis armis repressos esse, populus meminisset. Longè magis domestica diffidia periculum exagerabant: multi enim Equites, Proceresque apertè Vitoldo fauebant; neque ex vano metuebatur, fore vt in dies, longè plures proderent Casimiri partes. Rex Iagelo acceptis nuncijs, quo statu res Lituaniæ essent, multùm à Vitoldi artibus timebat; neque minùs à Casimiri ignauiâ. Celerrimis itaque itineribus, expertum bello virum, Nicolaum Moskorouium Regni Procancellarium, rebus necessarijs, atque aliquot Polonis cohortibus instructum, in Lituaniam mittit. Casimirus

Bellum cū Prussis Lituaniæ infert.

An. 1387 quoque non dubius molem belli eò vertendam, vbi summa & præmium victoriæ esset, lectis properè præsidijs Vilnam firmauit: Moskorouio, præsidij, vrbis, arciumque præfecturam, atque adeò vniuersam belli administrationem tradidit. Vitoldus ingenti per agros vastitate editâ circumferens latè bellum, priusquam Vilnam perueniret, quarto inde milliari ad Trocos consedit: non tam oppugnandi eius loci necessitate, quàm vt contractis isthic è populatione copijs, totâ simul vi, ad caput belli progrederetur. Conatus est tamen intereà, extemporaneâ operâ, arcibus oppidoque Trocensi potiri: sed duplici assultu inter damna suorum amisso, rem infectam deseruit: veritus, ne quantùm illâ morâ suorum vires animique attererentur, tantùm spatij permuniendæ accuratiùs Vilnæ relinqueretur. Subita siquidem vis, & integris animis illata oppugnatio, meliores successus habere solet. Vilnam motis castris, per imminentes vrbi à meridie montes ducto exercitu, à tergo arcium, ab Oriente inter montem & fluuium Viliam (quem locum vulgari linguâ *Antakalnic*, id est, ante-montanum dicimus) fixit tentoria. Trocis venienti prima ciuitatis mænia in conspectum occurrebant, sed eius oppugnationem prudens neglexit, siue alio quopiam consilio, siue quod iudicaret eius expugnationem, & aliquantò operosiorem, & parum vtilem. Nam quod copiosus satis miles in ciuitate haberetur, facilè pars hostem à mænibus arcere, pars per loca eruptionibus commoda, latera oppugnantium infestare potuisset:

Trocos primùm irrito conatu,

deinde Vilnam oppugnat.

potuisset: expugnatâ verò ciuitate, tantumdem negotij superfuisset, in oppugnandis arcibus, in quibus solis quidquid bello illo petebatur, conclusum habebatur. An. 1387 Superiorem arcem satis editi, ac prærupti montis iugo incumbentem, Polonorum præsidium obtinebat: inferiorem, quæ ad radicem montis sita, Vilna fluuio cingitur, Lituanus miles tuebatur. His arcibus sæpiùs tentatis, cùm præsidiariorum virtus, omnem eius conatum vinceret, obsidionem soluere, exercitumque in Prussiam reducere coactus est. Redibat quantùm spolijs locuples, tantùm spe suâ minor, animoque egens: quòd non prædæ, sed dominationi obtinendæ, eâ expeditionem suscepisset. Crescente in horas animi ægritudine, inter varias, quæ mentem subibant, cogitationes fluctuare: ex inauspicatis primis successibus longè aliter, quàm ante, de vniuerso bello, ominari: æstimare secum constantiam Procerum pro Casimiro, & Rege: inspicere penitiùs, quàm ægrè, quàm lubricâ fide à Crucigeris auxilia suppeditarentur, trahendo tantùm bello sufficientia, non autem necessaria eius dignitati asserendæ; propriam nimirùm rem magis, quàm eius agentibus: suspicari, quòd possit adhuc Iagelo permoueri, vt abrogatâ Casimiro præfecturâ, fasces Lituaniæ ad Vitoldum transferat.

Varijs cõsilijs agitatus,

Quare, siue pertentaturus tantùm sententiam Iagelonis, siue aliunde edoctus, quid ab eo sperare posset, per occultos fidosque nuncios in eam sententiam Regi scribit. Funesti belli, quod Lituaniam, miserè nunc exerceret

Regi Iageloni recõciliatus.

An. 1387 exerceret, ſe militem eſſe: Ducem verò, & facem; ipſum Caſimirum Skirgelonem: cuius vitijs, omnes quidem ad indignationem, ſe verò vti cæteris Lituani nominis amantiorem, etiam ad arma actum, iam eò vſque prouectum eſſe. Porrò ne vlteriùs pergeret, adhuc in Iagelonis poteſtate relinqui. Lituaniam perditam, neque vmquam ſe voluiſſe, neque nunc cupere: illud ſolùm hactenus Crucigerorum auxilijs tentaſſe, vt Caſimiro exacto, Lituaniam non ſibi, ſed Lituaniæ ipſi aſſereret, quam ſub ignauo Principe, peſſum ire nemo non videret. At verò poſtquàm comperiſſet Crucigerorum conſilia in perniciem Lituaniæ intendi; paratum ſe eſſe ad arma odio Caſimiri ſumpta, amore Iagelonis & patriæ ponenda: modò Iagelo ipſe, Fratrem ſe potiùs habere mallet, quam Hoſtem. Non actorum pœnitentiâ, ſed agendorum deſperatione Vitoldus iſta agebat: quare, cùm idem omnino, quamquam alijs artibus, quærere conſtitutum eſſet; pax neque longa, neque fida ſperari poterat. Nam veluti magnetis attactu vitiata acus, extra debitam ſtationem nequit conquieſcere: ita animus ambitionis malo ſemel agitatus, neſcit, ante deſtinatum veſtigium quietè conſiſtere; neque prius conſilia in omnem partem verſare deſinit, quàm votum occupet. Plana nimis iſthæc omnia erant Iageloni: quia tamen metuebat, ne Lituania ac Ruſſia, moleſti belli pertæſa, ſub poteſtatem Vitoldi concederet; qui non armis modò palàm, ſed tacitis quoque machinationibus res ſuas clam promouebat; belli impetum, quibuſ-
uis

uis conditionibus, maturè ſiſtere maluit. Breuiter itaque per literas hortatus Vitoldum, ne inconſultos affectus incitatiùs proſequendo, per patriæ damna, hoſtium cupiditatem ſaginaret; iniectâ etiam ſpe Principatus; reſpondit: Pacem non Lituaniæ modò neceſſariam, ſed & ipſi Vitoldo honorificam, optatiſſimam ſibi eſſe. A. 1387.

Ambientibus, nihil faciliùs, quàm ſpes; nihil promptiùs, quàm fides: cùm ea promittuntur, quæ cupiuntur. Vitoldus complexus animo veluti certiſſima, quæ à Rege acceperat ſcripta, inchoatis conſilijs inſiſtit, qua ſe ſuoſque ex Pruſſia euoluere poſſet, intentiore curâ veſtigat: nam ſiue proprius impetus, ſiue Crucigerorum artes, ita eum implicuerant, vt huc atque illuc verſanti animum, vix aliquid ſuccurreret, quod in rem opportunè conficiendam, vſui fore videretur. Tantum momenti eſt, ad ipſa fœderum initia præuidere mente, quomodo amicitias cum hoſtibus inchoes: ne fortè eò vſque deferaris; vnde cùm hoſtem iterum expertus fueris, quà pedem efferas, non reperias. Tandem vt erat prompto verſatilique ingenio, iſtud conſilij commentus eſt. Coniugem cum imbelli familiâ, ſupellectili quæ oculis patebat, immotâ, velut ad recognoſcendam per attributa à Crucigeris prædia rem familiarem, propediem redituram dimittit. Ipſe paucis poſt diebus Magiſtrum Ordinis clam adit, ſecreti ſpecie auctoritatem figmento facit: confirmat ſe inſignem Lituaniæ cladem animo concepiſſe, cuius momenta A. 1388. *Fugam ex Pruſſia adornat.*
B celeri-

A.1388. celeritate ac ſilentio conſtarent: eam ob cauſam, ſibi ac militibus ad leue ac volatile expeditionum genus aſſuetis, quales ſoli ſui eſſent, negotium totum demandari poſcit. Facilem habuit ad ea magiſtrum, ſuapte cupidum, vt per nouas Lituaniæ iniurias, exulceratis ampliùs offenſis, quò difficilior redderetur cum Rege Iagelone concordia, firmior cum Crucigeris ſeruaretur amicitia. Arma ergo ſuos, annonam in plures dies, & quidquid ſubitæ excurſioni opus, expedire iubet: ipſe ſingula ita moderari, ne vel impedimentis ſui onerarentur, vel Crucigeris ſuſpicio fugæ præberetur. Digreſſus Mariæburgo diuersâ viâ ab eâ, quæ ad prædium ducebat, mox iter flexit: coniugem ex deſtinato ad omnia intentam, cum gaza, è prædio abripit; atque curſu prope in propinqua Samogitiæ euadit: inde verſo in Podlachiam, quam ſuis præſidijs obtinebat, itinere, per confinia Pruſſiæ, Iurborgi, Neihauſij, Mergenburgi, amici ſpecie acceptus, gregarium Germanorum militem trucidauit, arces ſpoliatas exuſsit, Præfectos abduxit. Grodnam, ſuæ ditionis oppidum delatus, celerrimis nuncijs Iageloni ſcribit. Regis patriæque causâ, non amicitias modò Crucigerorum ſe recidiſſe, ſed etiam veteres inimicitias nouis cladibus reſtauraſſe. Quàm vera ſcriberet, integrâque fide ageret, Crucigeros ipſos argumento fore, quos in finitimis Præfecturis ab ſe captos Regi mitteret. Quare, quoniam quæ Rex poſtulare potuiſſet, ea ipſe iam longè exaggeratiùs præſtitiſſet, orare: vt quæ ſibi promiſſa fuerant,

Magnum Lituaniæ Ducatum ambit.

rant, ex fide præſtarentur. Amoueretur Lituaniæ Præfecturâ homo ſuperbiâ ſuâ nemini ferendus, quantùm in hoſtes ignauus, tantùm in ſuos cruentus. Vt verò eo eiecto, ſui ante alios Rex rationem habere velit ſe tacente, ſatis fore, ſi fidei datæ meminiſſet. Eſſe quidem illi germanos: ſed hos ſolo ſanguinis iure; ſe veteris erga Regem amicitiæ, meritorum in patriam ipſiuſque regij promiſſi, præiudicio, ad eius in primis beneficentiam, tum ad Magni Lituaniæ Ducis titulos audere niti. A.1388.

Rege ad petita eius tergiuerſante,

Gaudebat Rex ſolutâ inter Crucigeros & Vitoldum, armorum ſocietate: at ne pura ea voluptas eſſet vacuaque curis, poſtulata Vitoldi corrumpebant, immodicæ ſolicitudinis materiâ. Nam neque Caſimirus repentè Principatu moueri, neque alij fratres Regij poſthaberi, neque Vitoldus apertè repelli, abſque nouorum motuum metu poterat. Illa tandem regi cura probata, ſuſceptaque eſt: ita literis ac promiſſionibus Vitoldi ſpes ſuſtentare atque tractare, ne qua repulſæ opinio porrigeretur: quin imò perſuaderetur, Regem haud imprudenter veritum, ne violentis conſilijs nouas ſeditiones concitaret, in occaſionem, exequendo commodam intentu, nihil nunc abnuere, ſed & poſtulata eius & promiſſa ſua, aliquantùm differre. Siue ita animo Rex conſtitutus reuerâ fuerat, ſiue etiam ad confirmandum in amicitiâ Vitoldum, diſſimulanter magis, quàm verè iſta dicebantur: Vitoldus certè ſpes ſuas, votaque non diu quieta tenuit.

rurſus Regi offenditur.

B 2 Moræ

A. 1388. Moræ impatiens, neque minùs procraſtinatione offenſus, quàm ſi apertè repulſus fuiſſet, ad ingenium facilè redijt. Principatum Lituaniæ imprimis aſtu, tum ſi is irritus abijſſet, vi inuadere conſtituit. Non remedia, ſed incrementa, à tempore veniunt ambitioni: quemadmodùm amnes, ſi obiectum aggerem collectis exæquant aquis, perrumpunt; ita ambitio, morâ repreſsâ, creſcit, & niſi ab aduerſo obiectâ potentiâ ſpes omnis ſuperetur, tamdiu audet, donec perfringat. Vilnam ante omnia dolo quopiam intercipere deſtinabat Vitoldus: commodumque per id tempus acciderat, vt de nuptijs inter Henricum Mazouiæ Ducem, & Ringailam Vitoldi Sororem agi, fama ſpargeret. *Vilnam occupare nititur aſtu.* Occaſione enim inde ſumptâ, vulgat connubiali pompæ delectam eſſe Vilnam: vbi rumor variè ſparſus, ita inualuit, vt fabula ſatis ſuperque fidei apud pleroſque haberet; delectam è nobilibus in facinus expeditis manum præmittit, quæ ſparſim intra ciuitatis mœnia recepta, ſignum ad vim expectaret. Deſtinato inuaſioni die, trecenti currus, rebus apparando conuiuio neceſſariis onerati ſubmittuntur, quibus quadringenti viri occulebantur, præter curruum rectores, agreſtes quidem illos, at in pugnam comparatos. Omnia ad fraudem ſcitè inſtructa, nullum ſuſpicioni locum relinquebant. Solum Vitoldi nomen ſatis per ſe ſuſpectum, tergiuerſandi aliquam occaſionem, ſimulque detegendæ fabulæ initium dedit. Cùm enim à Præfecto curruum, de admittendis in arcem curribus, deponendiſque oneribus, animoſiùs

Vitoldi

Vitoldi nomine agitur; portarum cuſtodes, obſtinatiùs moras nectunt: interea præmiſſi nuper Nobiles, vel inſolitâ circa portas concurſatione, vel nimiâ ſolicitudine (plerumq; enim eæ curæ, quibus doli anxiè teguntur, inde ſe maximè produnt, vnde nimiùm cauent) ſeu alio quopiam indicio, præſidiarijs, præſertim Polonis, ſuſpicionem aſtûs mouerunt. Cœperunt itaque curioſiùs excuti currus: armati deprehenduntur, atque cæduntur: ſoli equites, qui extra arcem agebant, ſub ipſa initia detectæ fraudis, maturè ſunt elapſi. *Irritò euētu.* Vitoldus hoc conatu infeliciter abeunte, tanquam non eluſum dumtaxat telum eſſet, ſed etiam in auctorem remiſſum, quantùm dolere, tantùm furere: rurſus arma, cædes, animo præcipere. Quòd verò his affectibus priuatæ opes non ſufficerent, veritus ne repentino bello inde à Iagelone, hinc à Caſimiro interclusus opprimeretur, ad fœdera Crucigerorum, iteratò maturauit: *Quare rurſus ad Crucigeros tranſit.* vnicum eâ tempeſtate perfugium omnibus, qui contra legitimos Lituaniæ Principes aliquid tentaturi, viribus egerent. Infidus vicinus, fomes erat rebellionum. Vix fidem apud lectorem res reperiet, poſt tot deluſiones, aut Pruſſos Vitoldo amicitiam poſtulanti credere potuiſſe, aut Vitoldum ſperaſſe eos credituros: at vtilitatis ſpes maximam quiduis perſuadendi vim habet. Certè Conradus Valerodus Ordinis Magiſter, Zelnero vitâ functo, ſucceſſor datus, auidè hanc ſubigendæ Lituaniæ occaſionem arripuit: quare militem, omnemque operam Vitoldo liberaliter obtulit. Quibus conditionibus nouum illud

fœdus

A. 1388. fœdus coaluerit, proditum non reperio. Vitoldus quàm primùm à Magistro responsum accepit; cum omni familia, præcipuis Procerum vtriusque suæ fortunæ socijs, ac præsertim Ioanne Algimundo Duce Holsano in Prussiam se contulit: vbi integros deinde duos annos exegit.

1389. *Corybuto Seueria attribuitur.* Nihil tamen intereà hostile à Crucigeris in Lituaniam motum esse, argumento sunt, monumenta fœderis inter Lituanos, & Robinum de Eloz, Magistrum Equitum Liuoniensium icti. Sub idem tempus Demetrio Corybuto dominium in Seueriensem Principatum, confirmatum est, à Iagelone Rege. Verùm priùs, viri Seueriæ Principes, Demetrij legati, Dauides Russanus, Basilius Toroszcraius, & Gregorius Niesvvicki, suam Principisque sui fidem, Iageloni iureiurando obstrinxerunt: sanctè polliciti, Demetrium semper in obsequio regis mansurum; quod si is aliquo euentu à regno Poloniæ, aut Rege deficeret, Seueriam illi auxilia non ministraturam. Pari iure Simeoni Linguenio *Linguenio Nouogardia.* Misciflauiensi Duci, Iagelonis Germano, ditio magnæ Nouogardiæ concessa est: quo nomine Simeon Regi ac Regno fidelitatem iurauit. Vitoldus verò, vt eò magis hostilem animum dissimularet, quò intentiùs bellum cogitabat, nouâ cum Casimiro amicitiâ initâ, promissisque contra quosuis hostes (dempto solo Iagelone) auxilijs, fallaci illâ securitate, ignaui Principis periculum auxit.

1390. *Vitoldiani infestant Lituaniã,* Ad ipsum enim initium proximi anni, dum maiore mole

mole bellum in æstatem paratur, milite per Prussiam A. 1390. ac Germaniam conscripto, subitis agrorum vastationibus, ab ijs maximè cohortibus, quas Podlachiæ præsidio Vitoldus reliquerat, præludi cœpit. Neque Lituanæ solùm, sed & Polonæ ditionis agri infesti habebantur. Indixerat Iagelo quoque delectum per Lituaniam: sed is lentiùs procedebat. Quare nobilitatem priùs Polonam Iagelo in Podlachiam contra Vitoldianos duxit. *Rex Iagelo cum Polonis intrat Podlachiam.* Nam & ad arcendas à Minore Polonia prædas, & copias in Lituaniam moturo, necessarium erat vniuersâ priùs Podlachiâ, ac Polesiâ Vitoldianos eijcere: quòd ea media inter Poloni Lituanique iuris Prouincias, si ab hoste obtineretur, haud leuia incommoda militi, hinc inde commeanti, allatura procul dubio esset. Neque minùs momenti ad accelerandam expeditionem addidit metus, ne quantùm Rex quiesceret, tantùm Vitoldi factio per Lituaniam & Russiam virium sumeret: cùm nutantes Procerum animi in eas partes procumberent, in quam ostensis armis impellerentur. Brestiæ imprimis regius exercitus admotus est: arx ac ciuitas intra decem dies Regi cesserunt: Rex, præfecturâ *Brestiam expugnat.* Brestianâ Hincæ Rogovvski commissâ, cùm bellum victoriamque vlteriùs promouere contendit, militari seditione retardatus est. Suscepta quippe erat expeditio infestâ adhuc anni parte, cùm Februarius decurreret, mensis ante alios, per vicina Septentrionibus loca, hyeme peracutâ sæuire solitus. Impatiens eius mali Polonorum exercitus, molestam, atq; vix ferendam liberis hominibus

A.1390. minibus militiam detrectabat: missionem flagitans eò contumaciùs, quòd non stipendijs auctoratus esset, sed ex vetere harum gentium instituto, publico equestris ordinis tumultu, lectus. Dimissis hisce copijs, Rex viribus longè minor, animo tamen integer, solo aulico comitatu, & voluntariam militiam professis, Camenecum aggressus est. Nongentos non excedebant omnes sub signis: virtute nihilominus Ductoris, ac militis, in vices numeri subeunte, parum negotij fuit in eijciendis inde Vitoldianis. Cameneci Zindramo Maskovvski Regni Ensifero, ad locum præsidio obtinendum, relicto, signa reliqua Grodnam mota. Habebat Grodna, præter ciuitatem, arces duas, operibus ac milite Germanico contra vim validè instructas: quare tamdiu ab oppugnatione cessari debuit, donec Lituanarum legionum accessione, quas haud procul abesse nunciabatur, exercitus augeretur: interea tamen paucis licet cohortibus per Nemenum transportatis, clausa sunt itinera, ne inferendæ annonæ commoditas in arcem pateret. Paucis post diebus regij Fratres Casimirus Skirgelo vniuersæ Lituaniæ ac Russiæ, Volodimirus Kiiouiæ, Corybutus Seueriæ, Duces, cum validis copijs in castra peruénerunt. Rex ergo eas copias trifariam partitus, arctatâ vndique obsidione, infestiùs è propinquo obsessos vrgere cœpit. Vitoldus etiam neque sibi, neque suis deerat: vbi audijt Regem cum exercitu in Podlachia esse, captisque Brestiâ & Cameneco Grodnæ instare, lecto quàm primùm per Prussiam milite, Grodnam recta

Camenecũ capit.

Grodnam obsidet.

ctâ duxit: castris in aduersa ripa Nemeni, sub arcis regiorumque conspectu, positis, incertum quo consilio ad excitandum editum tumulum, muniendumque in eo propugnaculum, primas operas conuertit. At regij obstinatiùs oppugnationem vrgebant, quòd ob propinqua hostium auxilia, pronius esset cuique vereri, ne importatis in arcem validioribus præsidijs, annonâ, ac vario missilium genere, obsidio pænè perfecta, aut in irritum omnino abiret, aut obsidentibus, quàm obsessis, grauior redderetur. Inualescebat enim in dies per regia castra fames, militi iumentisque exitiosa: ex vastatis circumquaque agris nihil annonæ pabulique haberi poterat: plerique agresti pane, ex integris spicis contusis confici solito, vitam ægrè sustentabant: equis verò aut folia arborum sub niuibus collecta, aut stramen casis rusticanis detractum, idque quatuordecim inde leucis quæsitum, pabuli loco erat. Cum hoste simul, & tot malis, miles confligebat: quare vt quàm primùm debellaretur, ipse metus trahendi belli, vel inuitos animabat: & iam inferioris arcis vallum regij non incruento successu obtinuerant, Vitoldo suorum cladem ab altera ripa inspectante; rapido enim præaltoque fluuio, vti his mensibus accidere solet, à suis abstractus, tantùm spectare regios cogebatur. Vbi tandem obsidionem ad discrimen superioris arcis loco editiore sitæ, redactam aduertit, opem periclitantibus maturare & extemporaneo ponte militem conari transportare. Vtramque Nemeni ripam crassiore ferreâ catenâ, A.1390.

Vitoldum à ferendo subsidio arcet.

 inter

A.1390. inter caſtrorum propugnaculum, portamque arcis iungi iuſſerat: tum naues anchoris, palis, & catenâ contra aquarum vim obfirmatas exiguis interuallis ſeiunctas, trabibus tranſuerſim iniectis colligari, ac tabulis inſterni. Prope abſoluebatur opus, quando ingentes rates, à regijs confectæ, ac ſecundo flumine, magno cum impetu in pontem illatæ, catenam ruperunt, ac pleraſque naues cum operis, ac milite ſubmerſerunt. Vnicus natandi non imperitus, ne quidquam Germanis ab arce clamantibus, vt mergi ſe potiùs pateretur, quam ſalutem hoſtili in ripa quæreret, quà propior ripa certiorem vitæ ſpem promittebat, ad regia caſtra euaſit. Ad Regem introductus, quàm arctæ res in arce eſſent, quantùm Vitoldo militis, quidúe conſilij, expoſuit. Inſtare itaque acriùs Rex, & continuis oppugnationibus obſeſſos fatigare. Vitoldus, tanquam ſi vniuerſa iuuandæ arcis ſpes nauibus fuiſſet vecta, ſimulque cum ijs fluuio hauſta, non pontis modò, ſed & ſpei omnis iacturâ factâ, in Pruſſiam cum ſuis redijt. Neque præſidiarijs, poſt deſperata auxilia, diu pertinacia fuit. Quinquageſimò ab inchoata oppugnatione die, arcem regi permiſerunt. Rex Grodnâ receptâ, in Maiorem Poloniam abijt, tuendæ contra vlteriores Vitoldi progreſſus Lituaniæ curâ, Caſimiro Principi demandatâ. Secuta paucorum dierum quies, ingentis belli procellam, matureſcente iam meſſe, adultaque æſtate, effudit.

Grodnâ potitur.

Principes Chriſtiani contra Lituaniam militant.

Lenceſtriæ Dux Henrici Angliæ Regis filius, & Algardus Hohenſteinianus Comes in Pruſſiam venerant; vterque

vterque religionis ſpecie, ad honorariam militiam pertractus: prior Anglos, Scotos, Gallos; poſterior Germanos, ducebat. Quamquam enim Lituania, vti iam memoratum eſt, Iagelonis operâ, ad Chriſtiana ſacra, maximâ iam parte acceſſerat; ea tamen res inter Chriſtianos Principes obſcurior, Crucigerorum præſertim artibus, habebatur: intererat illorum ſiquidem, Lituanos, adhuc inter Ethnicos cenſeri, atque ita ſacræ militiæ prætextu Chriſtianos armare, quorum deinde armis, non iam Religioni, ſed ſuæ per Lituaniam ditioni ſtabiliendæ, abutebantur. His exterorum copijs auctus Valerodus, aſſumpto qui ex Pruſſia ac Liuonia educi poterat, milite, iunctis legionibus, quæ Vitoldi ſtipendijs in Germania conſcriptæ fuerant, totâ ſimul mole opprimendæ Lituaniæ incubuit. Partem exercitûs Valerodus, partem aliam Liuoniæ Magiſter, tertiam Vitoldus ducebant, diuerſis itineribus, vt ſtrages latiùs extenderetur: poſtquam vniuerſæ copiæ ab agrorum populatione circa Caunam conuenerunt, Trocos ductæ ſunt. Oppidum eius loci, atque arces paruo temporis laboriſque impendio occupatæ, exciſæ. Flexo inde ad Viliam itinere ſuperato fluuio, ſub conſpectu Vilnæ in Siskinijs campis, cui nunc loco Soltani-curia nomen eſt, conſederunt. Oppoſuit hoſti intrepidè regium exercitum Caſimirus Skirgelo, è Lituanis ac Ruſſis lectum, præter paucas Polonorum cohortes, quas Iagelo, dum Poloniam repeteret, reliquerat. Pertinaciter vtrimque decertantibus, variantiſque fortunæ vicibus, agri

A.1390

Agros vaſtant.

Skirgelonē prælio fundunt.

A. 1390. agri Verkos vſque patentes, campum præbebant. Satis erat animi Skirgelianis ad audaciam, vtpote domi ſuæ rem agentibus: attamen quia numero, & armorum genere, longè infra Vitoldianos erant, poſtquam prælium cum aurora inchoatum, in meridiem conſtanter fortiterque pertraxerunt, tandem arenâ excedere ſenſim cœperunt. Victi planè, neque tamen temerè in fugam effuſi. Vilnam ſe recipientibus, Vilia fluuius occurrebat; ne ergo tumultuariâ fugâ, opprimendi ad ripam reliqui exercitûs occaſionem victoribus facerent, ſeruatis quantum fieri poterat ordinibus, receſſerunt. Amiſit in eo prælio Skirgelo è præcipuis Hlebum Smolenſciæ, Simonem Iawnutiadem Zaſlawiæ, Hlebum Conſtantini Czartorijſcenſium, & Iuanum Lwowicz, Duces. Qui prælio ſuperfuerunt, inſtantem victorem fortiter reprimendo, cum Skirgelone, Trocos ſeſe receperunt.

Vilnam oppugnat. Vitoldus depulſis campo regijs, vniuerſas vires ad expugnandas Vilnenſes arces, conuertit. Sed expugnationem ſpe ſuâ difficiliorem reperit. Nam & obſeſſi pertinaciſſimè dimicabant: & Skirgelo properè refecto Trocis exercitu, omnem viciniam hoſtilibus caſtris infeſtam fortunatis excurſionibus reddebat. Securos ab externa vi, domeſtica proditio prope perdidit. Aliqui obſeſſorum, vel Vitoldianis promiſſis corrupti, vel odio Skirgelonis furentes, duabus infimæ arcis portis ignem ſubiecerunt. Munitio è lignis conſtructa conceptum occultè incendium, periculoſiùs longè in publicum euomuit:

euomuit: cùm flamma per pinnas loricamque mænium decurrens, prope momento propugnatores depuliſſet; vniuerſos verò ancipiti nimiùm malo inuoluiſſet. Manſuris intra arcem, ab igne; erumpentibus, ab hoſte, pereundum erat: quatuor, ſupra decem, capitum millia, quà flammis, quà ferro interijſſe memoratur. Acceſſit cladi Dux Conſtantinus Korigelo, Iagelonis germanus. Hic ægrè ex incendio elapſus, cum in Germanorum cohortem incidiſſet, ad Vitoldum perductus vitam flammis ereptam, ab hoſte ſeruatam, apud fratrem amiſit. Vitoldi iuſſu caput ei amputatum, atque in haſtili per caſtra circumlatum, miſerabile argumentum præbuit, plus crudelitatis ſemper habere fraternas inimicitias. Putabat Vitoldus tantâ ſuorum clade fractos obſeſſos, faciliores ſe ad deditionem præbituros, quare totis viribus oppugnationem vrgebat: præſertim, quòd caſtelli iugo montis impoſiti paries Caluo-monti obuerſus, non exiguâ parte, tormentorum ictibus deiectus, viam ad aſſultum aperuiſſe videretur. At præſidiarij numero non animis imminuti, nihil de conſtantia remiſerunt: omnes hoſtium machinationes Miskorowij induſtria, irrito conatu abibant. Murorum ruinæ, iumentorum corijs, & ſaccis lupulo impletis, ad eludendum hoſtilem oculum tegebantur: interea incredibili celeritate, terrâ ceteràque materiâ, congeſtâ occludebantur. Enituit inter primos, eximia Narimundi Pinſcenſium Ducis virtus, qui cum ſuis non ſolùm rudera, quæ igni ſupererant, inferioris arcis A.1390.

 fortiter

A.1390. fortiter retinuit, ſed etiam ad ferendas, cum res poſcebat, Miskorowio ſuppetias, in tempore ſemper aderat. A Vitoldiano tandem equite ad ſingulare certamen prouocatus, cum animoſè magis, quàm feliciter decertat, haſtili ex equo deiectus, viuus in poteſtatem hoſtium venit. Nihilo tamen inde fortunatiùs oppugnatio Vitoldo procedebat: ſed neque plus fraudes ei profuerunt. Miskorowius enim, quos vel ſuo ingenio, vel Vitoldi æſtimatione inconſtantiores, atque ad nouandas res procliuiores deprehenderat, ac præſertim Ruſſos, omnes ex arce eiecerat. Furere itaque Vitoldus, & tantæ expeditionis in irritum abeuntis dolore percitus, cùm non haberet, quò impotentis animi ferociam effunderet, in captiuum Narimundum, plus quàm barbarè deſæuijt. In proximo prato, pedibus ab vlmo ſuſpenſum, tormentis teliſque obſeſſorum obiectum, ipſe ſuâ manu & arcu confecit. Deſperatâ demum expugnatione, plurimis ſuorum amiſſis, atque inter primos germano Totiuido Principe, & Algardo Comite Hohenſteiniano, obſidionem ab VIII. Kal. Iul. ad ipſas Oct. Kal. continuatam ſoluere coactus, in Pruſſiam cum vniuerſo exercitu redijt. Tantus erat Chriſtiani illius exercitus inter redeundum in obuia furor, vt ne à templis quidem ſibi temperaret: ita nihil ſacri illis eſt, qui humanis affectibus in præceps ſe agendos ſemel permiſerunt. Vitoldus, cæteris copijs dilapſis ad hyberna, adiunctis Ragnetenſi & Inſterborgenſi præfectis, vicinam Samogitiam inuaſit, fædè iſthìc igne ac ferro in omnia graſſatur. Peri-

Irrito euentu in Pruſſiã redeũt.

Vitoldus Samogitiã vaſtat.

Periclitanti Lituaniæ ſubſidium laturus Rex Iagelo, cum exercitu aduentabat; ſed tardiùs quàm periculum poſtulârat: nullo itaque ferè alio emolumento, præterquam quòd fama venientis, hoſtem ad maturandum cum prædâ abitum, permouerit. Itaque ſubtractâ belli gerendi materiâ, ad componendum afflictæ Reipublicæ ſtatum, conſilia vertit. Annonæ imprimis ex hoſtili vaſtitate difficultatem, ex agris bello intactis omni frumenti genere abundè conuecto releuauit. Tum humanitate ac liberalitate regiâ eos in obſequio continere contendit: quos tantarum calamitatum pertæſos, quòd Skirgelonem bello infauſtum, pace crudelem odiſſent, alienatis ab eo voluntatibus, etiam in fide erga Regem non obſcurè nutare, ſermo erat. Miskorowio tamen nullâ ratione perſuadere potuit, vt pro Rege, Vilnæ præeſſet. Permoleſtæ, ac prope continuæ hoſtium incurſationes, maximè verò Skirgelonis arrogantia ac ſæuitia, patientiam viri planè profligauerat. Subſtitutus, eſt illi Ioannes Oleſnicki, ſtudijs militaribus, maiorumque antiquitate, per Poloniam in paucis clarus. Remanebat adhuc internarum proditionum fomes, exoſa Caſimiri Skirgelonis præſentia. Nolebat Iagelo mouere eum Principatu, earum ipſarum rationum reſpectu, ob quam Principem creauerat. Verùm res ipſa exigebat omnino, vt Vilnâ amandaretur. Liberalitatis ergo ſpecie in Ruſſiam eum relegauit, auctum Kiiouienſi Principatu, quem Vlodimiro, fratri natu maximo, ademerat. Ianuſſio quoque Mazouiæ Duci Drogi-

A.1390. Iagelo Rex in Lituaniam cum exercitu tardat.

Reip. ſtatum ordinat.

A. 1390. Drogicinum, Mielnicum, Bielſcum, attribuit ita, vt æquo cum cæteris per Lituaniam Ducibus iure, Regi ſubeſſet. Ita Mazouiæ Ducum opibus, contra Vitoldianas infeſtationes Podlachiâ firmatâ, cæteriſque per Lituaniam rebus ex ordine diſpoſitis, Poloniam Rex repetijt.

Redit in Poloniam.

1391. *Vitoldus Crucigeros in Lituaniã ducit.*

At Vitoldo nondum ſpes omnis capiendæ Vilnæ euanuerat. Nam, vt vis non ſuccederet, proditioni viam non defore videbat. Regij ergo in Poloniam reditûs occaſione vſus, ſuadere inſtitit Equitum Crucigerorum primoribus, ne grauarentur tertiò inſtaurare oppugnationem Vilnæ. Secundis auribus acceptus, non multis opus habuit, vt perſuaderet. Sciebant nullum exercitum à Rege relictum, qui arcendo apertâ acie bello, par eſſet. Solam proinde Principatûs ſedem, vnicum deſperatæ rei refugium, totam belli materiam fore augurabantur. Vitoldus ante alios gaudebat belli reliquum cum ipſo Skirgelone Vilnam compingi: quòd & mœnia infirma, facilè poſſe capi exiſtimaret; & odium præſentis Skirgelonis, plurimùm apud ciues ad proditionem valiturum ſperaret. Non minores certè animorum quàm corporum febres ſunt: cùm enim nimijs affectibus inardeſcunt, fingunt gaudia, quæ nuſquam ſunt. Ex inſana imperandi cupiditate Skirgelonem Vilnæ, Vilnam abſque munitione, Vitoldus ſomniabat. At iam Skirgelo Kiiouiæ agebat. Oleſnicius verò exuſtis vicinis arci ædibus, plebe omne intra infimæ arcis ſepimenta receptâ, locum vndique varijs operibus,

ribus, contra hoſtilem vim egregiè permunierat. Spe tamen plenus Vitoldus, ingentes copias, varijs machinis oppugnando neceſſarijs inſtructas, terrâ atque aduerſis fluuijs Nemeno ac Viliâ deduxit: ac ne tempus minore pretio tereret, ad caput rei admouit, Vilnâ obſidione cinctâ. Germanorum legiones armorum genere, & geſtorum memoriâ feroces, inter ipſa exuſtæ vrbis rudera, planâ ad Deiparæ Virginis templum arenariâ, poſuerant caſtra. Oleſnicius non ignarus quantùm virium ex primis belli veſtigijs, reliqui ſucceſſus ſumant, verebatur, ne ſi eam Germanorum ferociam non caſtigatam relinqueret, ſuorum animos imminueret. Non diu itaque cunctatus, hoſtem aggredi, priùs quàm caſtra curioſiùs permuniret, ſtatuit. Promptiſſimum quemque ad rem fortiter agendam hortatur: aciem intra vallum inſtruit: cohortibus ſingulis diuerſa mandata, pro loci commoditate, edicit: tum per decliues Vilnæ amnis ripas educto clam milite impetum in Germanorum caſtra facit. Depulſus eſt proximis ſtationibus hoſtis, multi Pruſſorum cæſi captique, nemo Lituanorum amiſſus. Plus tamen tumultûs, ac terroris, quàm periculi fuit. Oleſnicius enim conſcius virium, quàm impares debellando eſſent, non expectauit, donec receptis animis, maiore numero hoſtiles cohortes ad arcendum periculum concurrerent: ſed dato maturè ſigno receptui, victorem militem ſeruatis ordinibus, inter relicta ſuorum opportunis locis præſidia, intra arcem reuocauit. Creuêre ab eo euentu obſeſſis animi,

A. 1391.

Vilnam obſidet Oleſnicio feliciter eã defendẽte.

 ex

A.1391. ex fortunato initio, non iniquum belli exitum augurantibus: Vitoldo autem, & Crucigeris, desperatio: præsertim cùm rescivissent solius Olesnicij ductu & auspicijs, omnia in arce geri; & Lituanorum in Skirgelonem odia, per eius absentiam, non leuiter refrixisse. Experiri tamen vim priùs placuit, quàm spem omnem abijcerent. Vniuersis copijs, semel iterumque oppugnatio instauratur: vtraque vice reiecta, cum clade oppugnantium. Nunciatur subinde Skirgelonem è Russia properare ad soluendam obsidionem. Vitoldus, siue metu, quòd fama Skirgelonis copias exagerasset nimiùm, siue ne in spem irritam diutiùs in eo loco tempus tereret, siue alio consilio, ad nuncium aduentantis Skirgelonis, properè solutâ obsidione in Prussiam mouit. In eo itinere, Nouogrodeci, quam munitionem nuper Skirgelo ad Viliæ ripam excitauerat, ex Vilcomergiæ ad amnem *Svvienta* sitæ, oppugnatione retardatus est. Per vim vtroque loco potitus, præsidia excidit; munimenta ac ædificia exussit. Assecutus est eum, haud procul inde Skirgelo: sed exercitum, ad carpenda auersa agmina, aut palantes liberiùs intercipiendos, quàm iustæ dimicationi comparatiorem habebat: modicum, & leuiter armatum. Ausus nihilominus apertâ acie signa conferre, post breue certamen, inconsultæ audaciæ pœnas luit, non minùs infelix, quàm temerarius; vt ferè in bellis indiuisa temeritatis comes est, infelicitas. Amisso exercitu, ægrè Trocos fugâ euasit, plus miseræ patriæ profuturus, si in acie mansisset, infelicem

Oppugnat cum suorũ clade.

Soluit obsidionem

Vilcomergiam & Nouogrodecũ capit.

Skirgelonem prælio fundit.

cem Principatum, & clades Lituaniæ, morte fortiter obitâ, conclusurus. Victores cæsis in campo armatis, A.1391. cùm nihil per agros ad prædam, post iteratas toties populationes nancisci possent, in Prussiam redierunt. Modicâ ibi quiete refecto milite, instaurata est in Samogitia irruptio; quâ duo territoria bello hactenus intacta, peruastata sunt. Hyems successit nihilo æstate quietior Lituanis, Vitoldo neque ab hybernis expeditionibus temperante.

Samogitiam vastat.

Quòd enim Cauna Viliâ ac Nemeno confluentibus cincta, per æstatem difficilior accessu videretur; aquis per hyemem glacie instratis planiorem oppugnationem spondebat: eius capiendæ spe, tacito per syluas agmine Vitoldus progressus, inopinatò sub vallo cum milite comparuit. Valido opere arx, ciuitasque communita, firmo præsidio à Lituanis, ac Polonis stipendiarijs obtinebatur. Operosiorem proinde quàm crediderat Vitoldus oppugnationem reperit. Quoties miles admotus vallo, toties magno damno reiectus, Poloni præcipuè peditatûs insigni virtute. Desperatâ expugnatione, ne nihil egisse eâ expeditione dicerentur hostes, ad Insulas Nemeni, vnâ ferè leucâ dissitas digressi, nouas arces moliuntur. Duas insulas, Nouam & Equestrem, Neiuerder, & Retteruerder dictas, suo præsidio Crucigeri, tertiam Mettenburg vocatam; Vitoldus suo, firmarunt. Infesta nimiùm erant vicinis agris ea præsidia: exiguis, at frequentibus excursionibus, maiora quàm pro suo numero inferebant impunè damna.

Caunam frustra tẽtat.

Noua castella in Lituania excitat.

Ea

A. 1391. Ea res Alexandrum Vigundum Kiernouienſem Ducem permouit, vt eiiciendi inde hoſtis curam ſuſciperet. Tribus Polonorum peditum, & aliquot Lituanorum equitum turmis Retteuerdum aggreſſus, haud dubiè eo caſtello potitus fuiſſet, ſi adniti ampliùs voluiſſet, ne adultam iam deditionem deſereret. Ex ipſis enim hoſtibus deinde cognitum eſt, obſeſſos ne aliquot quidem dierum moram laturos fuiſſe. Non diu ei expeditioni ſuperuixit Vigundus, veneno domi ſuæ ſublatus. Acer erat iuuenis, militaribus ſtudijs ante alios fratres commendatus: ob quam laudem à Rege, germano ſuo, finitimas Pruſſiæ præfecturas, Bidgoſtienſem, & Inowloclauienſem acceperat. Verùm vt nemo alius inter fratres erat, quem magis Iagelo diligeret, ita non alius, cui Vitoldus eſſet infenſior: oderat ſiquidem iuuenem, vt ætatis reſpectu minimum; ita indole ac meritis, plus quàm alios in ſpem Principatûs, ex omnium voto, ſurgentem. Inde fabuláne, an vera narratio fontem habuerit, neſcio; vt propinati veneni ſuſpicio, maximè ac prope vnicum, Vitoldum, apud vulgus notaret.

Ea Alexander Vigundus fruſtra oppugnat.

Moritur veneno ſublatus.

Iagelo Rex expeditiorem Lituaniæ pacem fore certus, ſi Vitoldum Magnum eius Ducem renuntiaret, ne ad id conſilium hactenus animum verteret, ſolius Vigundi reſpectus maximè obſtiterat. Nam vt non difficile fore exiſtimabat, Skirgelonem, ac Suidrigelonem, venationibus, commeſſationibuſque, quàm gerendo Principatui aptiores, ab æmulatione auertere, collatis alijs poſſeſſionibus, vbi pro ſuo genio ſolitis vitijs opportuniùs

Iagelo conatur Vitoldũ reconciliare.

portuniùs indulgerent: ita Vigundi, nihil humile ſpirantis, ferocem animum, promptumque agendo ingenium, non poterat, non ſubuereri. Eâ nunc curâ ſolutus, liberiùs de reuocando Vitoldo cogitare, nec difficilem ſe eum præbiturum, credere. Cùm enim in omnes occupandi Principatûs vias, præceps ambitione ageretur, non ex vano promitti poterat, eum ſpe Principatûs firmiore, quàm alias fuerit, oſtensâ, in regias partes conceſſurum. Ita decretum eſt, permoleſto, ac diutino bello, quod neque Rex, Poloniæ negotijs oppreſſus, per ſe gerere poſſet, neque Skirgeloni infauſto Duci permittere auderet, finem imponere: & Lituaniam ab extrema calamitate vindicare. Præſertim, quòd inde Lituani nimiâ vaſtitate exhauſti ſumptibus belli non eſſent, inde Poloni tanquam in alienam rem ægrè pecuniam conferrent. Conſilio inito, cui tam ſecreti negotij moles tuto demandaretur, qui & apud Crucigeros extra ſuſpicionem, & apud Vitoldum in auctoritate eſſet? Henricus Semouiti Mazouiæ Ducis filius nuper Plocenſis Antiſtes dictus, delectus eſt ad obeundam à Rege apud Vitoldum legationem. Aduentûs eius cauſa, (quamquam plerique eam celari poſſe affinitatis prætextu opinabantur) non potuiſſet non eſſe ſuſpecta Crucigeris: niſi ſors ita tuliſſet, vt ſub hoc ipſum tempus Vitoldus filiam ſuam Sophiam, Baſilio Moſchouiæ Duci magno apparatu in matrimonium Mariæburgi elocaret. Cum cæteris enim Principibus ad connubialem pompam, Henricum Annæ Vitoldianæ

A. 1391.

1392.

per Henricũ Mazouiæ Ducem.

A. 1392. coniugis fratrem venisse credebatur. Accidit & alia res, quæ plurimùm momenti ad fallendos Crucigeros contulit. Henricus quamquam Diaconi gradu ad Sacerdotium inauguratus, iam aliàs, vt lubrica iuuenibus præsertim in opulentiore fortuna, morum constantia est, Sacerdotalis continentiæ pertæsus, & Ringalæ (soror ea Vitoldi erat formâ insignis, & florentissimâ ætate) amore æger, contemptunè an ignorantiâ sacrarum legum non constat, apud Vitoldum institit, vt Ringalam sibi coniugem daret. Neque Vitoldus abnuebat. Tyro quippe adhuc inter Christianos erat, vt non admodùm disciplinæ Romanæ gnarus, ita non nescius apud Russos Sacerdotum matrimonium non damnari. *Succedit Henrico conatus.* Cumulantur itaque solemnia: post Sophiam Moscho desponsam, Ringala despondetur sacrilegis nuptijs Henrico. Crucigeri interea id solum ab vxorio iuuene agi rati, minimè animis in alia intendebant: cæterùm Henricus ipso nouæ affinitatis iure fidentiùs cum Vitoldo agere permissus, quoties eum absque arbitris nancisci posset, Iagelonis mandata ac promissa depromere: obtestari ne tot stragibus ac impendijs, irrito conatu quæsitum Principatum, suapte venientem è manibus elabi sineret: per omnia hospitij ac iteratæ affinitatis sacra spondere, quàm primùm amicus Vilnam accessisset, ab Olesnicio intra mænia admittendum, summâ etiam rei in vrbem & arces permissâ: id à Senatu magno consensu suasum, id à Rege constitutum. Neque *Vitoldus Regi recōciliatur.* destitit animum Vitoldi, ex Superiorum memoria, præsentia

sentia æstimantem, variè versare, donec excussis timoribus ac suspicionibus, in fidem & amicitiam Regis inflexit. A. 1392. Vitoldus officijs hospitalibus perfunctus, vbi sibi relictus est, supputare animo, quæ cum Henrico condixerat: vereri, inde ne quid Crucigeris suboleret; inde ne Rex more suo aliquid innouaret: moram itaque, velut periculum excutere: maturare consilia, instruere abitum, miræ ac planè incredibilis solertiæ, in fallendis toties Crucigeris. Coniugem cum imbelli aula, specie *Ex Prussia se subducit.* filiæ, in Moschouiam abeuntis, honoris causâ aliquantùm deducendæ, in Samogiticas possessiones relegat: promptissimum quemque secum manere, in momenta paratum, iubet. Captatâ deinde occasione cùm Metenburgum, suæ ditionis arcem aduolásset, vicinum Retteruerderum insperatus inuadit: leui cum imparatis pugnâ castello potitus, quotquot Teuthonici generis mercatores, aut milites deprehendit, cæsos in præterfluentem Nemenum abijci mandat, præcipuis Crucigerorum secum ductis. *Crucigerorum arces inuadit, exscindit.* Vulgatâ citò eius cladis famâ, vicinorum præsidiorum præfectos ad arma exciuit: siue contemptu paucitatis, siue spe prædæ recuperandæ, rapto equitum agmine, Vitoldùm in profundiora Lituaniæ abeuntem audaciùs insequuntur. Vitoldus accepto eo nuncio, iubet captiuos prædamque omnem cum exiguo præsidio subsistere, ipse remensus iter, aptas insidijs angustias cum armatis insedit; quas cùm temerè hostis intrâsset, omnes internecione deleuit. Cæsorum inde capitum numero inito, vti is, qui omnia Cruci-

A.1392. Crucigerorum perſpecta habebat, facilè coniecit, quàm pauci ad præſidium arcium, cæteris ad inſequendum profectis manſiſſent. Quare celerrimè ſuos ad earum oppugnationem ducit: vacua prope milite caſtella nullo negotio occupat, exſpoliat, exurit, ac diruit: atque victor ad relictum ſuorum agmen reuertitur. Præmiſſo inde, qui Oleſnicium de ſuo aduentu edoceret, Vilnam rectà tendit. Oleſnicius tempeſtiuè mandatis regijs inſtructus, vti hactenus cupidè Vitoldum expectauerat, ita præſentem magnâ omnis humanitatis teſtificatione intra mœnia deduxit. Nihil honoris in eum omiſit, quem in ſpem Principatûs veniſſe non ignoraret, neque ambigeret tam certò amicum regium eſſe, quàm non dubiè Crucigerorum hoſtem cerneret, à recentibus eorum cladibus, cum præda atque captiuis, ouantis ſpecie, portas Vilnæ intrantem. Vt verò magis eum erga Iagelonem obſtringeret, atque fidendo fidere doceret, quemadmodùm imperatum à Rege fuerat, arcium Præfecturam, in nouum hoſpitem à ſe tranſtulit.

Vilnā ab Oleſnicio ſplendidè deducitur.

Rex Iagelo Vilnam venit.

Celerrimis totius negotij nuncijs in Poloniam perlatis, Rex Iagelo cum Regina, procerumque Polonorum ſplendido comitatu in Lituaniam profectus eſt. Verebatur ne ex mora noui aliquid ſuboriretur diſcriminis: quod ex facili euenire poterat, quamdiu inter Skirgelonem & Vitoldum non conueniret. Inuectus eſt Vilnam magnâ Procerum, populique lætitiâ, quam affulgens publicæ tranquillitatis ſpes animis omnium affundebat: neque multùm moratus ad reconcilianda rei

rei capita, Skirgelonem & Vitoldum Duces, toto conatu incubuit; arbitrium tamen concordiæ, vt extra inuidiam apud germanos ſuos eſſet, ſibi non ſumpſit. Ab ipſis Ducibus Regina Heduigis arbitra lecta: cuius operâ in eas conditiones, poſt longa verborum certamina, conuentum eſt. Alexander Vitoldus cum coniuge Anna, pro ſe, ſuiſque poſteris iuraret, ſe in regis obſequio ac fide, cum vniuerſis Lituaniæ ditionibus conſtanter manſurum: magni Ducatûs Lituaniæ factam cum Regno Poloniæ coniunctionem, ac ſocietatem integram inuiolatamque ſacroſanctè conſeruaturum: amicos ac hoſtes communes cum Regno ac Rege Poloniæ ſemper habiturum. Cum Skirgelone pacem, atque fraternam amicitiam coleret. Kiiouienſem Ducatum, cum omnibus eius ditionibus ſuis impenſis, ac milite, Skirgeloni eiuſque poſteris vindicaret. Trocos, Cremeneciam, & alias quaſdam minores poſſeſſiones ſtatim ei conſignaret. Caſimirus verò Skirgelo, attributis Ducatibus contentus, Principatum Lituaniæ non repeteret. Rex Iagelo neminem Vilnenſi, Vitepſcenſi, Merecenſi, ac Grodnenſi, arcibus præfectum, inſcio aut inuito Vitoldo imponeret. Lituania vniuerſa, cum ſubiectâ ſibi Ruſſiâ, ita ex forma, icti per Iagelonem cum Polonia fœderis à Vitoldo adminiſtraretur, vt ſub Regis Poloniæ imperio maneret. Hæ conditiones in tabulas relatæ, annulis ac ſubſcriptione capitum fœderis, atque adeò iureiurando firmatæ, ad publicum regni tabularium Cracouiam ſunt remiſſæ. Completis mox, quæ

A.1392.

Reginæ arbitrio Skirgelonem & Vitoldum recōciliat.

A. 1392. quæ tempore non egebant, Vitoldus Skirgeloni suffectus est, atque Olesnicius Vilnæ administratione abire iussus.

LIBER II.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe ALEXANDRO I. Vitoldo.

ALexander Vitoldus, Magnus Lituaniæ Dux renunciatus, nouam Reipublicæ fortunam orditur: quæ quamquam hactenus non pœnitenda fuerit, & deinceps satis florens; numquam tamen aut rerum gestarum gloriâ, aut imperij amplitudine, augustior, quàm Vitoldo Principe. Vir erat ingenio vehemente, atque otij impatiens: & quemadmodùm famæ ac proferendi imperij auidiori, numquam bellorum materia deerat, ita vix aliquando in susceptis expeditionibus ab euentu destituebatur, à puero militaribus artibus innutritus, solitusque impigrè exequi, quæ animo destinâsset. Magno apparatu, tum ipsius Vitoldi, tum coniugis Annæ inauguratio, Vilnæ in templo D. Stanislai, ab Andrea Wasilone Antistite Vilnensi peracta est: ritibus, quorum ab antiquo vsus erat, ad Christianæ religionis integritatem, ab omni superstitione castigatis. Fusa inde in publicum lætitia, mirum dictu, quantùm popularium animos exhilarauerit: pacem plurimùm expetitam, minimè speratam, eoque iucundiorem, quà publicè, quà priuatim, omnes mutuò gratulari: varia hilaritatis argumenta in vulgus edere: fausta omnia, nihilque mediocre, non solùm ex noui Principis indole, sed etiam ex communi plebis vniuersæ in hilaritatem conspiratione, ominari. At verò qui non totos se lætitiæ illius sensui permiserant, cogitationes profundiùs immittere, sagacique mente vestigare; quantorum motuum semina illo die iacta essent! quantùm ignis superiniecto cinere sepultum? Germani fratres consobrino postpositi. Skirgelo Principatu exutus; Volodimirus, Demetrius Korybutus, Boleslaus Suidrigelo, alijque præteriti. Kieystutiades imperans; Olgerdiadæ priuati, ac stipendiarijs accensi. Vt calamitatum auctor præmium sceleris haberet, quod supererat cladibus Lituaniæ, Vitoldo donatum. Plerisque omnino non persanatum, sed obligatum dumtaxat vulnus videbatur.

Alexandri Vitoldi Magni Ducis inauguratio.

Diuersimodè à varijs accipitur.

Et certè sola ferè præsentis Regis auctoritas continebat, ne ipsa publicæ hilaritatis sacra, aliquibus motibus funestarentur: at, vbi Rex abijt in Poloniam; non diu concepta animis ægritudo quieuit: quàm violentè fuerat dissimulata; tam ferociter in apertum erupit. Casimirum Skirgelonem ex amisso Principatu, & damni dolor, & pudor, exacerbabant; Boleslaum Suidrigelonem spes interuersæ: nam vti natu proximus Skirgeloni erat, ita ad successionis iura primus. Skirgelo in audaciam pronior, Russorum quoque gratiâ, ac pecuniâ in

Skirgelo rebellat.

A. 1392. in Principatu corrasâ potens, proprijs viribus bellum moliri cœpit, comparato per Russiam exercitu, Vilnam ac Vitoldum aggressurus. Suidrigelo, cui & ingenium timidius, & arctiores, quàm pro tanto ausu opes, & popularium exiguus fauor, spiritus minuebant; ad vim apertam domi impar, apud vicinos hostes consilijs suis subsidia quæsiuit. Nouus tunc Magister Equitum, Prussiam administrabat Conradus Iuningen: hic ad militarem fortunam, initio Magistratûs, apud suos probandam, suapte bellum optabat; quare non illibenter auxilia Suidrigeloni spopondit. non eius vtique gratia: sed Vitoldi, aut odio, aut metu. Nam & amicitiæ tot federibus instauratæ repentina rescissio, acuebat odium ad vindictam: & potentia inquieti ac bellicosi hominis vicino Principatu aucta, non ex vano metuebatur; præsertim si armorum cessatione firmatâ, formidolosior euaderet. Faciliùs nimirùm obsistitur malo, ne vires sumat, quàm validum iam viribus opprimi possit. Suidrigelo Crucigerorum armis succinctus primùm priuatas Vitoldi ditiones inuasit, confinia Podlachiæ fœdè peruastauit, Stramelam, Surazium, Grodnam arces vi cœpit; ac tria captiuorum millia in Prussiam abduxit.

Suidrigelo in Prussiã fugit.

1393.

Podlachiã cum Crucigeris vastat.

Nouis turbis excitus Rex Iagelo properè in Lituaniam accurrit, omnéque studium adhibuit, vt pacatis consilijs, arma Skirgeloni excuteret: plurimùm apud eum auctoritate valebat, ægrè tamen id euicit, attributis ei, ad veteres possessiones, arcibus, earumque amplis

Rex Iagelo Skirgelonem Vitoldo conciliat.

plis territorijs: Starodembo in Seueria, Cremeneco in Volynia, veteribus Trocis in Lituania. Neque Vitoldus in eis permittendis aut inuitum, aut difficilem se exhibuit: mallebat exiguæ partis detrimento, periculum totius redimere, vt conciliato sibi Skirgelone, liberiùs in solum Suidrigelonem, animum vireśque intenderet. Ne autem per leuem quampiam dissensionem, noua bello materia deinceps daretur, inter vtrumque conuenit, vt exortæ controuersiæ solius arbitrio Regis decidendæ relinquerentur. In eodem congressu Vitoldus Principatûs sui inuidiam apud regios fratres volens imminuere, amicitiam eorum sibi varijs rationibus conciliare est conatus: atque inprimis beneficio in Andream Vigundum Ducem Trubecensem collato. Molientem turbas, atque Crucigerorum armis Principatum affectantem, primo sui regni anno Iagelo Andream in carceres coniecerat, atque in eum vsque diem in vinculis vitæ incertum detinebat. Pro eo Vitoldus enixè apud Regem egit, vt illius diei lætitiam geminare vellet, non solùm Vitoldo ac Skirgelone ob regiam auctoritatem, simultatem deponentibus; sed etiam Andrea ob Vitoldi preces in gratiam Regis recepto. Ægrè quidem, obtinuit tamen Andreæ vitam, libertatem, & possessiones. Ijs deinde Andreas contentus, tam procul à suspicionibus & periculo, quàm remotus à curia, priuatam vitam egit, nullamque deinceps Reipublicæ partem attigit; auctor insignium, rebus gestis familiarum, Polubinsciorum, ac Trubeciorum Ducum.

A. 1393.

Andream Vigundum libertate donat.

E 3 Stabi-

A. 1394. Stabilitâ per hyemem in Lituania pace, Iagelonem Poloni regni negotia reuocârunt. Suidrigelo verò incitare Crucigeros pergebat, vt per hybernam quietem bellum in primam æstatem apparare non negligerent. Non ordinarius modò exercitus nouis per Prussiam delectibus auctus est: sed etiam è vicina Silesia, Austria, atque adeò totâ Germaniâ, non modica auxilia contracta; multis ad honorariam militiam etiam ex Anglia, & Gallia, concurrentibus. Ordo siquidem ille Teuthonicorum equitum, quos vulgò Crucigeros vocabant, ob perpetuum armorum studium, pro theatro militaris gloriæ, eâ tempestate habebatur: quare non modò stipendijs actis celebres, ac emeriti milites, sed etiam expertissimi bello Duces, in Spem augendi Nominis, in Prussiam ex regnis Christianis confluebant. Conradus Magister equitum non suo tantùm, sed exterorum quoque exercitu fretus, adulto vere in Lituaniam mouit: ab vtraque Nemeni ripa agros latissimè populatus, aliquot arces Lituanis, Samogitisque eripuit. Legionibus ab agrorum populatione ad Mariæuerdum insulam contractis, antequam in profundiora Lituaniæ duceret, celebratissimum Prussorum annalibus, conuiuium in eadem insula eum instruxisse scribitur. Adhibiti mensæ Duces omnes, ac præcipui equitum, eo ordine, quem cuique eximiæ virtutis dignitas fecisset. Caput mensæ cessit Equiti Austrio Kinodiut, quòd solus sexaginta Turcas, se insequentes, occidisset. Proximus ei accubuit Fridericus Marchio à Misnia, ob prærogatiuam familiæ, ex qua nemo vnquam ordinem deseruit. Tertius Comes Hildermirdus natione Scotus, quòd eo parente natus esset, qui vt Regem seruaret, se ipsum neci obiecit. Tum Comes Rupertus, ob imperium Romanum, ad quod vocabatur, spretum. Conradus deinde ipse, conuiuij illius structor, ob sponsam ætate ac formâ florentissimam, gratiâ ordinis Teuthonici desertam. Vestphaliæ signifer Degenhardus, quòd aduersarijs, qui parentem suum occiderant, veniam indulsisset. Fridericus Eques quòd nihil vnquam negâsset ei, qui interposito D. Gregorij nomine aliquid postulasset. Denique reliqui, pro merito quisque. Conuiuium non ad militarem frugalitatem, sed ad vrbanas delicias instructum, horas quinque tenuit, ac quingentis marcarum millibus constitit. Nam non cibi modò ad luxum apparati incredibili copia apponebantur, sed etiam vtensilia omnia, argentea atque aurea, mensæ illata, conuiuis cedebant. Hoc veluti congiario militari, animatis Ductoribus, Conradus rectà mouit contra Vitoldum, ignarus tantis impensis ad lanienam eos saginatos. Idem enim annalium Prussicorum scriptor, qui conuiuium hoc memorat, confirmat pugnatum fuisse cum Vitoldo ad Vilnam, victumque eo prælio Conradum, triginta suorum millia in acie amisisse. Cæterùm apud Lituanarum rerum commentatores, nulla aut conuiuij huius, aut tantæ cladis mentio reperitur. Quod si superioribus annis hæc contigisse, quispiam contendat: necesse erit alios à Vitoldo

Suidrigelone instigãte, Crucigeri bellum adornant.

Lituaniã inuadunt.

Conuiuiũ celebre prælio præmittũt

A Vitoldo profligantur.

A.1394. do & Conrado Duces, ei bello assignare. At compertum habetur, hoc primùm anno, cum ingentibus exterorum subsidijs bellum à Conrado contra Vitoldum gestum esse, atque post vastatos agros, Vilnam obsidione cinctam. Per duos menses nihil omisit Conradus, eorum, quæ ad capiendas vrbes, à peritis adhiberi solent: posteaquam verò ea omnia frustra fuêre, Suidrigelo ad fraudes se conuertit. Impigro è familiaribus iuueni mandat, vt transfugæ specie in vrbem transeat: si fortè fidem inueniret, atque intra mænia admitteretur, quæreret idoneos, sibique fauentes, quorum operâ vtriusque arcis munimentis ligneis, ignis simul subijceretur. Receptus absque metu proditionis, veluti transfuga, non alios designati facinoris arbitros ministrosque adsciscit, quàm græcæ religionis Monachos Russos. Illos Suidrigeloni, sectæ suæ eximio fautori, non parùm obnoxios faciliùs posse sollicitari sperabatur, faciliusque destinata exequi, quòd reuerentiâ religionis, huc atque illuc per otium circa mænia commeare, liberè ab excubitoribus permitterentur. Non fuit opus magnâ contentione, vt persuaderetur scelus: onerati promissis, exhibitâ quoque non modicâ pecuniâ addicunt operam: monetur Suidrigelo vt in occasionem expeditos haberet oppugnatores. Successisset procul dubio facinus, nisi ex eorum ipsorum Monachorum numero quispiam, siue pietate in patriam, siue spe maioris quæstus permotus, consilia proditorum arcis Præfecto indicasset. Hostes in omnia intenti, cùm instru-

post Vilnã frustra oppugnatã vi,

& fraude Suidrigelonis.

ctas

ctas ad oppugnationem copias, condicto tempore intra vallum tenuissent, vbi nihil ab arcibus moueri aduerterunt, euulgatam fraudem coniecerunt, desperatoque vlteriore successu paulò post obsidionem soluerunt. Non procul inde Vitoldus suas copias habebat; sed prudens conferre castra non audebat: quod non ignoraret, & armorum genere, & bellatorum multitudine, longè validiorem Crucigeris exercitum esse. Solitâ nihilominùs celeritate non mediocriter afflixit hostem. Cùm tempus obsidione trahitur, expedito equite semel iterumque Prussiam inuasit, ac obuijs vastatis reuersus in Lituaniam celeriter, non pabulatores modò securiùs palantes, sed vigiles quoque pro castris excubantes, intercipiebat: in castra ipsa, alibi tumultu excitato, alibi cæde editâ, incursabat. Neque minùs infestum iter redeuntibus fecit: modò auersa agmina, modò alas à lateribus, carpere; modò præcursores insidijs excipere. Fulguris instar suos huc atque illuc circumagebat, tanto successu, vt damna Lituaniæ, Crucigerorum damnis exæquâsse existimaretur. Crucigeri reductis in Prussiam copijs non diu quieuerunt: trifariam diuiso exercitu, diuersas Lituaniæ Prouincias populati sunt per hyemem. Mareschalcus ordinis Henricus Tettinghar ipsam Lituaniam, Vlricus Iuningen Iudex Sambiensis, frater Magistri, Miednicenses ac Rosienenses in Samogitia agros, Conradus Koborg Balgensis Præfectus Drohicensem in Podlachia tractum. Non tamen impunè: nam eâdem hyeme Crucigeris ad hy-

A.1394.

Mutuis se inuicem cladibus Crucigeri ac Lituani affligunt.

berna

A. 1394. berna digreſſis, Vitoldus inſperato, cum leuiore equitatu in Pruſsiam irrupit, ac circa Inſterburgum omnibus præuaſtatis, vicem hoſtibus refudit.

Vitoldus ſubiectos ſibi Duces aggreditur

Poſt biennale cum Crucigeris bellum, mutuis quidem cladibus, maiore tamen Lituaniæ damno geſtum: de inſtaurandis propè collabentis Principatûs viribus Vitoldus agitare ſecum cœpit. Quantumuis Suidrigelo quieſceret, à Crucigeris nihil quieti ſperari poſſe, quos non pacis ſtudio, ſed reſpirandi neceſsitate, arma dimiſiſſe, campoque exceſsiſſe conſtaret: Prouincias Pruſſis conterminas, Lituaniam, Podlachiam, Samogitiam hoſtium populationibus miſerè afflictas, ærario Principis diuturnis ſumptibus exhauſto, impares fore vlteriori bello: remotiores verò, Kiiouiam, Seueriam, Podoliam, Regiorum fratrum ambitione, vix in Vitoldo ſupremam Magni Ducis auctoritatem agnoſcere; nedum aliquid in bellicos vſus, contra Lituaniæ hoſtes, aut militis aut pecuniarum conferre velle: ſi tamen ad obſequium veteri more Magno Duci debitum adigerentur; haud dubiè non exiguam virium acceſsionem
1395. futuram. Præcipui Ducum erant, Demetrius Korybutus Dux Seueriæ, Volodimirus Dux Kiiouiæ, Theodorus Coriathus Dux Podoliæ, opibus ac milite potentes. Eorum itaque animos priùs experiri inſtituit, miſſis legatis, qui pecunias ex eorum Prouincijs, in ærarium Magni Ducis Lituaniæ, inferri olim quotannis ſolitas, repeterent. Siue collato conſilio, ſiue ſuo quiſque impetu, ferociùs omnes legatis reſponderunt; ac præ- ſertim

ſertim Demetrius, ante alios, alieni imperij minùs patiens. Reſpondit ille: Olgerdo ſe Magno Duce Lituaniæ progenitum, Iagelonis Regis fratrem, nihil Vitoldo debere. Fruſtra in ſe captioſis legationibus aliena imperia extendi, qui fraternum etiam non priùs ferre cœpiſſet, quàm armis domitus. Abundè Vitoldo à ſe conceſſum, quòd permitteret eum quietè imperare in Lituania, cuius ipſe hæres eſſet. Permitteret igitur viciſsim Vitoldus Demetrio, æquo cum alijs Ducibus iure, in ſolo Rege ſupremam poteſtatem agnoſcere. Si verò tributarium ſibi eum velit habere, neceſſe eſſe, vt priùs hoſtem ſentiat. Longè magis è re ſua Vitoldum facturum, ſi omiſsâ tributi ac ſubiectionis omni mentione, amicum ſeruaret. Noti erant Vitoldo, hominis feroces ſpiritus: quare cùm non aliud, quàm quod datum eſt, reſponſum animo præcepiſſet, maturè per Lituaniam ac Samogitiam collegerat copias, quas reuerſis legatis contra Demetrium duceret. Verùm neque Demetrium latere poterant Vitoldi conſilia: cùm ex ipſa legatione conſtaret, bello materiam quæſitam eſſe. Lecto properè exercitu, auxilijs quoque Tuerenſium auctus, ne bellum intra ſuas ditiones acciperet, prior in Lituaniam mouit. Ad Niekudouum collata caſtra; neque diu ceſſatum à prælio; eductæ in aciem copiæ acriter concurrerunt, cùm fortuna neutrò inclinans ad plures horas pugnam protraheret: tandem Ruſſorum acies primò nonnihil turbari, ac pedem aliquantum referre. Id verò vbi ſenſit Vitoldus, totis ſimul vi- ribus

Cum Demetrio Seueriæ Duce cōfligit.

A. 1395. ribus cônnisus inclinatos impellere, turbatis instare; denique cum fortissimorum cuneo in mediam se aciem inserit, quâ perruptâ, Russos in effusam fugam coniecit. Misso leuiore equitatu qui fugientes sequeretur, omniq; studio caueret, ne aut locus, aut otium sese recolligendi victis daretur: ipse lectis spolijs cum robore exercitûs in Seueriam successit. Caput Prouinciæ erat Nouogrodecum, vrbs perampla, non priuatorum tantùm opibus, sed Principis etiam gazâ, opulenta: nam & ab antiquo sedes Seueriæ Ducum fuerat, & Demetrius ibi coniugem liberosque habebat, atque ab infelici pugna, cum præcipuis suorum eò se ex fuga contulerat. Quamquam verò & defensorum copiâ, & vallo (vti mos gentis eo tempore ferebat) ligneo, satis valida esset, oppugnare tamen eam Vitoldus ausus est. Multùm omninò intererat eâ potiri, quòd miles refici, ærariumque insigniter iuuari ex præda posset: & Demetrius captus, prorsus debellari. Obsidio longiore tempore egere videbatur: verendum autem erat, ne mora victoriæ cursum abrumperet, cæteris Russiæ Ducibus ad propulsandum à Demetrio periculum concurrentibus, quod, eo oppresso, omnibus commune futurum esset. Totum itaque rei benè agendæ momentum à celeritate pendebat. Quare Vitoldus cum decreuisset coronâ vrbem aggredi, vocatis ad se tribunis ac præfectis imperat: omnia ad vim comparata habeant, militemque quà priuatim, quà publicè moneant. Vrbe non capta, victoriam nuper in campo partam, non quietis, sed

Profligat Seuerios.

Nouogrodecum oppugnat, & capit.

sed calamitatum in Lituania sementem fore: verùm A. 1395. eius victoriæ fructum, vnico vallo clausum sub eorum oculis, ac manibus positum esse: non curarent mænia, pro quibus starent profligatorum reliqui ex recente pauore necdum animis receptis: nihil esse ampliùs necesse, præterquam audere, & solitâ alacritate hostem aggredi, adnitique aliquantum; id si facerent, victores vno impetu euasuros: amplitudinem vrbis audaciæ incitamentum debere esse, quòd quantò amplior esset, tantò opulentiorem victoribus prædam seruare. Hæc Vitoldus coram Tribunis; eadem tribuni ac præfecti apud vulgus militum; eadem milites per contubernia iactare ac exagerare: vnde mutuis cohortationibus inflammato exercitu, quisque prælij signum auidè expectare. Dato tandem signo, tanto ardore ac impetu in mænia ac hostes vndique procursum est: vt licet hostis impigrè certaret, iam tamen appareret eum de victoria desperare; magisque necessitate pugnandi, quàm spe vincendi decertare. Nihil verò ita perdidit Demetrianos, vt incendia pluribus simul locis coorta: ignes enim ad eum vsum instructis machinis ciuitati iniecti, facilè tecta ædesque ligneas corripiebant; & per cuniculos sub ipsas munitiones ab aliquot partibus perductos, securè Vitoldiani commeantes, flammas turribus portisque subijciebant. Tam ancipiti malo propugnatores distracti, cùm in vtrumque non sufficerent, vrbs capta est, atque direpta. Priuatarum ædium præda, promiscuè militi; Principis Demetrij thesauri, & quidquid opum in

A.1395. in arcem aut templa comportatum fuerat, Vitoldi fisco cessit. Vniuersâ deinde Seueriâ, nullo negotio sub vetus Magni Ducis Lituaniæ ius receptâ, Prouinciæ Præfectus impositus, qui eam pro Vitoldo obtineret, prouideretque, ne quid belli à Demetrianis emergeret. Demetrius cum coniuge ac liberis Vilnam ablegatus, diu in superiore arce detentus est: neque priùs libertati restitutus, quàm Alexander (vulgò Holha) Dux Rezanensis, multis precibus interuenisset, ac vadimonio adpromisso, Vitoldum conciliâsset. Atque, vt nihil ad domandos contumaces spiritus potentius est aduersâ fortunâ, iam Demetrius in diuturno carcere didicerat subesse. Post obligatam iureiurando, erga Vitoldum eiusque successores Magnos Lituaniæ Duces, fidem, amplas possessiones ab eo accepit Braslawiecium, Winniciam, Cremeneciam, Sokolecium; quibus contentus Seueriam ambire desijt. Vir multis nominibus celebris, Zbarazij ac Wisniewiecij ciuitatum conditor, à quibus desumptos titulos, cum sanguine Korybutano Duces Zbarazij, ac Wisniewiecij, Demetrij posteri, ad nostram ætatem deduxerunt, Imperatoriâ gloriâ, nemini per Poloniam ac Lituaniam secundi.

Seueriam Lituaniæ subijcit.

Demetrio patrimonium attribuit.

A quo Duces VVisniewiecij, genus ducũt.

Demetrio domito contra Volodimirum Kiiouiæ Ducem, arma Vitoldus vertit. Dúo in publicum probabantur, quæ belli illius indignitatem apud vulgus emollirent: par inprimis Volodimiri cum Demetrio caussa, tum recens cum Iagelone pactum, quo vrgeri videbatur Vitoldus ad Kiiouiam proprijs impensis Skirgeloni

Volodomiro Kiiouiam adimit.

loni asserendam. At reipsa priuatarum offensarum memoria vindictam fodicabat, quòd Vitoldo in Prussia exulante, Volodimirus maximè Iageloni obstitisset, ne Vitoldum Magnum Ducem renunciaret; auxilijsque suis iuuisset, cùm Podlachia, Grodna, cæteræque possessiones armis regijs, Vitoldo adimerentur. Neque Volodimirus spes suas clade Demetrij metiri: intrepidè bellum apparare; quidquid ad repellendam vim spectaret, neque negligere, neque segniter curare. Vitoldus, vt Skirgelonis caussam se agere probaret, Owruczam, Zitomirumque arces vi expugnatas Skirgeloni attribuit: inde contra Volodimirum, qui iam in campum prodierat, duxit. Antequam castra conferrentur per opportunè à Iagelone missi primores Poloni adfuerunt: eorum interuentu, & fraternæ acies parricidali prælio abstinuerunt, & belli Duces certis conditionibus concordiam inierunt. Volodimirus Kiiouiæ Ducatum resignauit Skirgeloni: Vitoldus Volodimiro perpetuo iure donauit Kopylum cum latifundijs ad triginta leucas excurrentibus. In ea deinceps portione Volodimirus, conquieuit, neque aliquid deinceps molitus est: habebat satis, extra inuidiam & periculum, eas possessiones pro posteris exornare. Conditâ ciuitate Slucko, per Alexandrum filium (popularibus Olelkonem) Slucensium Ducum nomen, vt dignitatis gradu humilius; ita rerum fortiter pro patria, præsertim contra Scythas, gestarum, maiestate amplius; ad posteritatem transmisit.

A.1395.

Skirgeloni attribuit.

Skirgelo

A. 1395. Skirgelo neque moram passus, sine qua arces promissæ ordine consignari non poterant, loca aliqua vi occupauit: inquieto ac suspicaci animo, omnia æquo tardiùs, neque ex fide fieri videbantur. Verùm hanc noui Principatûs voluptatem, tam impotenter quæsitam, aliena improbitas, non diuturnam ei fecit. Cùm enim in venandi oblectamenta effusior Skirgelo, ad propinquum Russorum Monachorum prædium diuertisset, post lautiorem cænam, vbi potu incaluit, absque prælibatore hilariùs poculis certanti, eorundem Monachorum præpositus, Metropolitani Antistitis Kiiouiensis Vicarius venenum clam affudit. Scelerato exemplo, sed multis optabili euentu; cum vitâ Principis inuisi, fata eorum, quorum malo victurus erat, prærepta sunt. Intra paucos dies vi mali consumptus Kiiouiæ obijt: Kiiouienses vti in viuis ob prodigam liberalitatem carum eum habuerunt; ita mortuum regio funeris apparatu, in celebres eius regionis cryptas intulerunt. Suffecit ei Vitoldus Ioannem Algimundum Holsanensem Ducem, suarum expeditionum, exiliorumque indiuisum comitem, non tamen Ducis Kiiouiæ titulo, sed solâ Gubernatoris potestate.

Skirgelone veneno extincto.

Algimundum ei præficit.

Solus iam restabat Theodorus Coriathus Dux Podoliæ, qui ex sociorum clade nihilo, aut modestior aut timidior, eò maiore curâ bellum instruebat, contra Vitoldum, quò certior erat soli sibi illud gerendum. Ante visum hostem, consertaque arma, ex solâ sociorum fortunâ, animo vinci, nimis quàm turpe esse, aiebat: saperent illi alienis malis, qui nihil spei domi suæ haberent; sibi neque Vitoldi felicitatem, quæ victoribus perquam lubrica est, adeò æstimandam, neque vires proprias esse contemnendas. Cum valido itaque exercitu, quem per Podoliam, & Valachiam collegerat, Vitoldo ad Braslauiam occurrit. Vitoldiani geminâ victoriâ feroces, tanto ardore in hostem iuerunt, vt prope vno impetu eum profligauerint. Effusis in fugam suis, instante acriter Vitoldo, ægrè Camenecum Theodorus euasit. Non poterat tam properè instaurare copias ad rem aperto campo restituendam; arcem itaque validis præsidijs firmat, certus inde bellum trahere. At Vitoldus victoriâ, priùs quàm eius fama consenesceret, celerrimè ad finiendum bellum vsus, non Cameneco, cuius oppugnatio difficilior, nihil spei ad celeritatem faciebat, robur exercitûs admouit: sed copijs diuisis, propè fugientium tergis inhærendo, varia Podoliæ castella, oppida, arcesque improuisus inuasit. Ijs partim metu, partim voluntate, fortunam victoris secutis, cùm nihil aut Demetrio ad spem, aut sibi ad periculum totâ Podoliâ remansisset, Cameneci oppugnationem orsus est. Vix tamen aliquid sub ea arce profecisset, cuius admiranda naturæ beneficio munitio, omni hactenus vi ac industriâ humanâ, superior permansit. Sed quid tam tutum, validumque quod discordiâ non pereat? quid tam inaccessum, quò animorum dissensio non penetret? Siue Vitoldi artibus, siue alia ex causa, ortis inter Podolios ac Valachos dissidijs, velut strato ruinis muro,

Theodorũ Podoliæ Ducẽ prælio fundit.

A. 1395.

Podoliam vniuersã occupat.

Camenecũ deditione recipit.

A. 1395. ro, via hosti aperta est: omnem communis salutis tuendæ curam, apud exacerbatos aduersùm se animos, priuata odia restinxerant. Mittuntur legati de tradendæ arcis conditionibus acturi: quibus, cùm Vitoldus nihil pacati respondisset, omnia eius arbitrio ab obsessis permissa sunt. Arce deditâ, Podoliâ vniuersâ Lituaniæ rursus adiunctâ, præsidia ac præfecti Lituanæ originis arcibus oppidisque sunt impositi. Theodorus Dux, cum familia, Vilnam abductus. Pupugit ea res non leuiter Polonos, veritos ne veteres eorum in Podoliæ possessionem prætensiones Vitoldi victoriâ antiquarentur: præsertim, quòd Vitoldus, haud immemor bellorum, quæ Lituani Olgerdo Duce gesserant, vt Scythas Podoliâ depellerent, eam Prouinciam non solùm tanquam recentis victoriæ præmium, verùm etiam tanquam antiqui iuris ditionem se obtinere, non dissimularet. Multis proinde laborandum Iageloni fuit, vt Vitoldo non inuito, ius Polonorum assereret. Verùm Vitoldus, eâ maximè causâ, vt Polonos Regi magis deuinciret, flecti se tandem permisit: impensarum tamen nomine quadraginta millia æris Polonici (florenos dicimus) postulabat. Pecuniâ, quòd publicum ærarium exhaustum bellis esset, à Spitkone de Melstin Palatino Cracouiensi suppeditatâ, Camenecum, Smotriciam, Skalam, Czeruonogrodecum, Regno ac Regi restituit: quæ deinceps possessiones Spitkoni fiduciario iure, à Rege sunt attributæ. Eadem occasione inter Regem, ac Vitoldum conuenit, vt Seueriæ Ducatui, pro Magno Lituaniæ Duce, Dux Theodorus Sanguszko præficeretur.

Cum Polonis de Podoliæ possessione transigit.

Theodorũ Sãgusʒko Ducem Seueriæ renunciat.

A. 1395.

Pacata iam videri poterat vndique Lituania, si quiescere voluisset Suidrigelo: at ille crescente ex Vitoldi successibus inuidiâ, ampliùs furere; eoque audaciùs, quòd alienis vt armis, ita & periculis fureret. Crucigerorum in Prussia & Liuonia Magistros assiduò contra Vitoldum solicitabat. Ad VIII. Id. Febr. Lituaniam, tum Samogitiam fœdè vastârunt. Vitoldus copias adhuc per Russiam in hybernis habebat: paucis autem cohortibus, cum quibus in Lituaniam redierat, nihil momenti agi poterat, siue populantibus occurrisset, siue abeuntes insequi voluisset. Ne tamen impunè hosti ea excursio abiret, contractis quàm primùm suis, Liuoniam inuasit; agros populatus Dinemburgum ad Dunæ ripam vi expugnauit. Non ambigo eo etiam maximè consilio arma à Vitoldo in Liuoniam versa fuisse, quòd per exploratores constitisset, Suidrigelonem ex Prussia in Liuoniam transijsse. Metuebant autem prudentiores, ne inde in propinqua loca, hactenus Crucigerorum vastationibus intacta, aliquid moliretur. At Suidrigelo aliò animum ac consilia flexerat. Videbat illo latrocinij potiùs, quàm belli, genere, quo per interualla subitis irruptionibus Lituania ac Samogitia infestabatur, solos Crucigeros saginari; se perinde inope ac exule remanente. Cum Russis ergo proceribus agitare cœperat, de rationibus Russiæ occupandæ, ex qua suis auspicijs, bello Vitoldum persequi posset. Non adeò dissita à Liuoniæ finibus, Albæ Russiæ Prouincia opulenta, Vitepscia,

Cruciferi Lituaniã vastant. 1396.

Vitoldus Liuoniam

Suidrigelo in Liuoniã transit.

Cum Russis conspirat.

A. 1396. pſcia, à Theodoro Wioſna Regiarum in Lituania venationum præfecto, pro Iagelone Rege obtinebatur. Etſi enim iam ante fuiſſet per Olgerdum Lituaniæ Principatui adiuncta, Iagelo tamen eam, velut paternæ hæreditatis portionem ſibi retinuerat. Cæterùm (vt ferè fieri ſolet, cùm regiarum cupiditatum miniſtris confinia regnorum committuntur) minùs ſolicitè, ne dicam, negligentiùs, tanquam extra periculi ſuſpicionem habebatur: Vitoldus quoque, vt in re aliena, pericula eius aut ignorabat, aut diſsimulabat. Suidrigelo itaque Ruſſorum proditionis ſecurus, exploratis per Polocenſes ſiluas vijs, tacito agmine tranſgreſſus, cum aliquot Liuonici militis millibus Vitepſciam inuadit; ciuitatem Vitepſcum, geminamque arcem, non ſolùm operibus, ſed etiam opportunitate loci, eximiè munitam, nullo negotio capit: inde Orſzam, ac reliqua inter Boryſthenem, & Dunam loca, Ruſsis ſponte ſub imperium eius concedentibus, in poteſtatem redigit. Celerrimis nuncijs Iagelo ea de re edoctus, non tam damni ex Prouinciæ iactura, quàm ignominiæ (Præfectum enim Prouinciæ Wioſnam Suidrigelonis mandato ex muris præcipitem actum, ceruicibus fractis, perijſſe nunciabatur) impatiens, Vitoldo mandat, ne priùs quieſcat à bello, quàm recuperatâ Prouinciâ, oppreſſoque Suidrigelone.

Vitepſcenſem Prouinciam occupat.

Vitoldus ſuaptè in id bellum pronior, quòd Albæ Ruſsiæ Prouincias cuperet obſequentiores imperijs Magni Ducis Lituaniæ, quam ſe exhiberent; lubens eam curam ſuſcepit. Orſzâ per breuem vim expugnatâ, Druckum

Vitoldus cõtra Suidrigelonẽ mouet.

Druckum mouit. Drucenſes enim Principes, primorum Ruſsiæ Regum progenies, ſub initia horum motuum minùs Vitoldo addicti, Suidrigelonem apertè fuerant ſecuti; at repentino bello oppreſsi, maluerunt incertam Vitoldi clementiam ſupplices, quàm armati ferrum experiri: neque difficulter poſt obligatam Vitoldo, eiuſque ſucceſſoribus iureiurando fidem, veniam obtinuerunt. Georgius quoque Suetonſlaides Smolenſcenſium Princeps, quamquam in abſentem Vitoldum, non dubium ſe hoſtem geſſiſſet, præſentium armorum terrore, inimicitias diſſimulauit, atque vt fortunæ conſilia applicaret, copias ſuas Vitoldo coniunxit. Smolenſcenſium acceſſione auctus Vitoldi exercitus, Vitepſcum ductus eſt. Menſem integrum oppugnatio tenuit: non quia neglectum eſt aliquid, quod in eiuſmodi euentibus probatum profuerat; ſed quia Suidrigelonis non tam exhortationibus, quàm imperijs & minis animati præſidiarij, ac præſertim Liuones, ſummâ contentione reſiſtebant. Trigeſimo demùm die Vitoldiani in arcem inferiorem per ſtratos ruinis muros perruperunt: occupatis mænibus, pauci ad cædem ſunt intercepti. Deſperatis enim rebus magno tumultu milites iuxta ac ciues in ſuperiorem arcem, montis iugo impoſitam, euaſerant. At hoc ipſum, ad celeriorem perniciem plurimùm contulit. Quo maiore numero promiſcua cum liberis ac coniugibus, multitudo confluxerat, citiùs omni abſumptâ annonâ, fames primùm (validiſſimus ad expugnandas arces aries) ſubſecuta, mox

A. 1396. *Proceres Ruſſorum domat.*

Vitepſcum obſidet.

Vi capit.

A.1396. mox ab intolerantiâ famis, priuatorum contra Suidrigelonem occultum murmur, tum aperta plebis gregarijque militis ſeditio. Cùm pauci hoſtem, nemo famem, diutiùs ſuſtinere vellet, Suidrigelone nequidquam obſiſtente, tumultu, non conſilio aliquo, arx Vitoldi arbitrio permiſſa eſt. Vitoldus recuperatam Prouinciam atque caſtella Lituano præſidio communiuit: Suidrigelonem captiuum, cum victoriæ nuncio, ad Regem miſit.

Suidrigelonem captiuũ Regi mittit.

Confecto eo bello victor exercitus in Lituaniam dimittebatur, cùm nunciatur Smolenſcenſium Principem Georgium, ex ſocio repentè hoſtem factum, in reditu ex caſtris Vitepſcenſibus, magnam Orſzani fundi partem hoſtiliter inuaſiſſe, eiectiſque poſſeſſoribus, agros inter ſuos clientes partitum eſſe. Expoſtulanti per legatum Vitoldo de iniuria, non modò nihil pacati, ſed etiam arroganter reſpondebatur. Socer enim Georgij Dux Rezanenſium Holha, exſurgente in vicino Vitoldi potentia, miſtâ metu inuidiâ æger, augebat iuueni animos ac turbulenta conſilia. Vitoldus malum in ortu compeſcendum ratus, ſigna Lituaniam petentia, in Ruſſiam abſque mora redire iubet: Orſzano agro hoſtes depellit, Smolenſcum rei caput, bello petit. Georgius, vti mos quibus in lingua Mars totus, poſtquàm aduertit rem ad manus deductam, neque viribus, neque animo, in bellum ſuffecit: non aperto campo credere, non Smolenſcenſibus vallis fidere: præmaturâ fugâ, cum coniuge ad ſocerum, belli facem, euaſit.

Smolenſcum Georgio Duci ademptũ.

ſit. Deſerti à Principe Smolenſcenſes, eò melioribus conditionibus, quò maturiùs, cum arce atque Vniuerſa prouincia ſub imperium Vitoldi conceſſerunt. Hlebus quoque Georgij frater facilè impetrauit, ne innoxium, vti videri volebat, fraterni criminis, par cum fratre diſcrimen, eum inuolueret; ſi antiquo maiorum ſuorum patrimonio exueretur. Subſtitutus Georgio Hlebus non diu in fide manſit, Rezanenſi ignem, materiamque rebellionis miniſtrante: quàm primùm Vitoldus in Lituaniam mouit, Hlebus ad fraternum genium redijt; auſus apertè imperia Vitoldi aſpernari, & obſequium erga Magnum Lituaniæ Ducem, cum vniuerſa Prouincia excutere. Importunè omnino is motus Vitoldo acciderat aliud bellum totis Lituaniæ ac Ruſſiæ viribus meditanti. Et ſi enim in promptu copias habebat, quibus rebelles Hlebi ſpiritus reprimere poterat, dolebat tamen militis & temporis iacturam. Mutua ſiquidem, licet inæqualia, vincentium ac victorum damna eſſe; atque vt ferrum cædendo ligna, obtundi, ita exercitus vincendo, conſumi neceſſe eſt: quidquid autem gerendum eſt ſuo tempore eget ac morâ. Veritus itaque Vitoldus, ne ſi contra Hlebum moueret, dum eâ expeditione & tempus & miles teritur, Ruſſorum ad Scythicum bellum ardor conſeneſceret: ita conſilia in Smolenſcenſem intenta diſſimulauit, vt vicini Duces, ipſeque Hlebus, priùs intellexerit Smolenſcum à Vitoldo occupatum, quàm Vitoldum ex iniuriæ ſenſu vltionem meditari.

A.1396. Hlebo eius fratri attribuit.

Hlebo rebellãte iniuriã diſſimulat.

Cele-

A. 1396. Celebratissimus Scythicorum populorum, trans Volgam habitantium Ductor, Latinis dictus Tamerlanes (Russis *Temirkucien*, Scythis *Temirkutki*, Moschis *Temiraksząk*, id est felix, aut claudum ferrum) Tachtamem Scytharum quoque regulum bello oppressum, paternis ditionibus eiecerat. Tachtames cum præcipuis primorum, quos *Murzas* & *Vlanos*, vocant, ad Vitoldum confugit, facilique negotio persuasit, vt restituendi illius in auitum regnum cogitationem susciperet. Non ignoro proditum esse à quibusdam, augendæ famæ imperijque proferendi cupiditate tam audax consilium à Vitoldo admissum esse. At perpendenti, quòd quantacunque ea fuisset, bellis Prussicis abundè exsatiari potuisset, propius longè verò videtur, eum ex Russiæ seruandæ solicitudine Scythici belli curam suscepisse. Cum enim Tamerlanes magnâ orbis parte euastatâ, fractaque Baiazetis Turcæ potentiâ, reliqua regna magno metu concussisset: inprimis timendus erat vicinæ Russiæ, Scythicas vires, fatales sibi, non semel expertæ. Monitis itaque vniuersæ Russiæ Regulis, quantùm periculi à Tamerlane immineret; quantùm securitatis accederet, si Tachtame in patrocinium recepto, præcipui Scytharum populi, in amicitiam bellique societatem pertraherentur, procul dubio accessuri ijs, quos pro ipsius Scythiæ libertate arma sumpsisse viderent: quàm facilè victoria sperari posset, si vniuersæ Lituaniæ ac Russiæ vires contraherentur. Ipse Vitoldus ad Smolensciæ fines cum exercitu consedit. Inde rursus ad

Scythici belli occasione Hlebum fallit.

singulos datis literis, permouit, vt in castra frequentes conuenirent, de vlterioribus belli gerendi rationibus præsente ipso Tachtame, quem secum duxerat, consilia in commune collaturi. Eâ occasione Hlebus quoque Smolenscensium Dux in castra aduenit: vbi à Vitoldo tamdiu varijs hospitalitatis officijs detentus est, donec Smolenscum cum vniuersa Prouincia, à Vitoldianis occuparetur. Tum primùm depositâ personâ fabula detecta est, cùm Smolenscum iter fuisset præclusum. Amplissima nihilominus ei Vitoldus latifundia donauit cum Polonna arce, vt eâ hæreditate Smolensciæ desiderium temperaret. Quamquàm verò eius oræ Præfecturam, viro impigro, Basilio Iamonto Boreykowicz demandâsset: ne tamen in nouo rerum statu, per ipsius absentiam, turbarum aliquid enasceretur; aliquantùm Smolensci Vitoldus hæsit. Intereà copias bifariam partitus, Simoni Linguenio Misciflauiensium Duci inprimis negotium dedit, vt Lituani exercitûs parte Rezanensem Principem, auctorem turbatæ Russiæ aggrederetur. Deinde Olgerdo è proceribus Lituaniæ, vt cum reliquis Lituanis, atque vniuerso Russorum exercitu, desertos campos transgressus, trans Volgam Tanaimque penetraret: itinera, situm locorum, vires ac consilia hostium exploraret, &, si Superi occasionem offerrent, fortunæ animique experimentum, in sequentis belli præludia, sumeret. Vtraque expeditio ex voto cessit. Simon Linguenius cum Rezanensem nullibi se opponere ausum, elicere in campum nequiuisset:

A. 1396.

Smolēsciā Lituaniæ adiungit.

Rezaniā Vitoldiani vastant.

A.1396. uiſſet: omni illius ditione, quæ Oca & Tanai fluuijs clauditur, ferro ac igni euaſtata, incolumem prædâque grauem exercitum reduxit. Olgerdo plus operis fuit. Emenſus deſertos campos, fortè ad Tanaim cum caſtris conſederat: cum tres fratres Crimenſium, Kirkelenſium, ac Monlopienſium ſcytharum Regulos, ingentem exercitum ducere nunciatur.

Ad Tanaim cum Scythis pugnatur.

Tanto interuallo in hoſticum progreſſis, nulla ſpes ex fuga ſupererat: vincere neceſſe erat, viuere volentibus. Ipſa ergo vincendi neceſſitas, ad pugnam animos Olgerdianis auxit. Commiſſo prælio, ſemel iterumque ſuo more incurrentes Scythas fortiter reiecerunt. Sparſi per campos pernici curſu Scythæ, repentè in legiones conuolare ſolent, actaq; in gyrum vniuerſâ acie, mox quâ minimè timeas, globo facto irrumpunt, iterumque ſe prælio eripiunt, ac rurſus reſumpto impetu curſu in pugnam redeunt. Reiecti itaque ſemel iterumque Scythæ, non pari iam alacritate prælium inſtaurabant. Lituani aucta ex vincendi ſpe audaciâ, animoſiùs abeuntibus ſigna inferunt, atque turbatis eorum gyris ad pugnandum collato pede cogunt. Cæſis neque infimis, neque paucis, atque adeò ipſis Regulis, reliquum exercitum in apertam fugam impulerunt: magna ſtrages in pugnantes, ac fugientes edita.

Scythæ profligantur.

Nuncius eius victoriæ, victorque ipſe Olgerdus, Vitoldum adhuc Smolenſci, vallo arcem munientem, deprehendit.

Vitoldus cũ Ruſſis bellũ con-

Felix eius expeditionis euentus incredibiliter Ruſſiæ Principes ad bellum Scythicum accendit, atque in-

inprimis Baſilium Moſcuæ Ducem: hic datâ nuper in matrimonium Vitoldo filiâ, viſendi Generi causâ Smolenſcum aduenerat, vbi ſiue reliquorum Ducum exemplo, ſiue initæ affinitatis reſpectu, non illibenter fæderi contra Tamerlanem acceſſit, militem pecuniaſque pollicitus.

A.1396. tra Tamerlanem molitur.

Vitoldus ex fauſtis initijs ad vlteriora excitatior, Tachtamem cum alijs exulibus in Lituaniam præmittit: publico ſumptu liberaliter habendos: mox ipſe augendarum copiarum causâ properat. Inſtitutis per hyemem, quàm maximis, delectibus, vniuerſas copias Kiiouiam maturè conuenire mandat: atque iſthic vlteriora mandata præſtolari.

A.1397. Exercitũ Kiiouiam contrahit.

Ipſe quoque ordinandis nonnihil per Lituaniam rebus moratus, cùm primùm gerendo bello apta tempeſtas adfuit, ad exercitum venit. Kiiouiâ motis ſignis, tacito agmine Azouiam contendit. Superato ad Azouiam Tanai, priùs Scythis pugnandum fuit, quàm nuncius de aduentu Vitoldi veniſſet:

Scythiam inuadit.

in ea pugna ingenti clade Trans-Volgenſium & Nahaienſium populorum exercitus, attriti ſunt. Captiuorum integræ tribus (Hordas illi vocant) cum imbelli ſexu atque ætate abductæ ſunt. Pars illorum ad Iagelonem Regem miſſa, deſerto impio Mahomete, ad Chriſtiana ſacra, in Polonia, tranſijt.

Fuſo exercitu, captiuorum in Lituaniã tribus educit.

Qui verò in Lituania ſedes acceperunt, obſtinatiſsimè ſuam ſectam retinent: non ſolùm ad Vacæ amnis ripas, ſed etiam tum per agros, tum per ſuburbana regiarum ciuitatum, Primorumque Lituaniæ poſſeſsiones, ſparſi. E nobilitate ferè Scythica originem ducunt, qui à Magnis Lituaniæ Du-

cibus

A.1397. cibus attributos agros poſſident;& per ſuæ gentis tribunos ac ſigniferos certo numero recenſi,proprijs impenſis militare debent: ſi qui eorum, à iuſta militia liberi manent, ij (maximè iuuentus) aut ſponte ſtipendia in caſtris faciunt, aut in magnatum aulis tabellionum vices obeunt. Reliqui ac præſertim, de promiſcua plebe, aut hortorum culturâ, aut operam vectorum, viatoribus mercatoribuſque locando, rem familiarem tuentur. Prodiderunt aliqui ſcriptores, eos in Lituania,æquo cum equeſtris ordinis capitibus iure viuere: ſed ij multùm aut ignorantiâ, aut affectu lapſi ſunt, diuerſa à vero, ſcribendo. Etſi enim ad arcendas ab eis iniurias, (quæ à Chriſtianis frequentes inferebantur) Principum indulgentiâ extendi cœperit eadem mulcta,quæ in violatorem aut trucidatorem nobilis viri legibus ſtatuta fuerat: ab omnibus nihilominus nobilium prærogatiuis excluſi, ordinario Præfectorum arcibus iuri, non minùs, quàm agreſtes regiorum vicorum coloni, ſubiacere coguntur.

Captiuorũ Scytharũ in Lituania manentium conditio.

A.1398. Proximo quoque anno, Vitoldi aut auſpicijs, aut etiam ductu, contra Scythas bellatum eſſe, argumento eſt, quòd Patricum Vitoldi germanum, eo anno, in prælio à Scythis cæſum fuiſſe, proditum vetuſtis annalibus reperiam. Scriptores verò rerum Lituanarum intenti animo in ſequentem expeditionem,non minùs cladefuneſtam, quàm apparatu nobilem, huius anni geſta conſignare neglexerunt. Diſſuadebat ſtudioſè Rex Iagelo Vitoldo, ne Tamerlanis fortunam orbi vniuerſo formi-

Bellũ Vitoldi cõtra Tamerlanem.

formidabilem, temerarijs armis irritaret. Aiebat Rex A.1398. Præteritis victorijs ſatis iam Nominis ad famam quæſitum eſſe: quantò maioribus viribus gerendum bellum ſuſciperetur, tantò plus metûs ex varia bellorum viciſſitudine animo obuerſari: vicinæ potiùs Pruſſiæ, à qua nihil fidi ſperari poſſet,arma opponenda; quò propiora inde pericula imminerent, eò præſentioribus illic remedijs opus eſſe. Regina quoque Heduigis, ſiue muliebri timore, ſiue altiore quopiam inſtinctu mota, multùm ei expeditioni aduerſabatur infauſti euentûs obnunciatione. Neque defuerunt è primoribus Polonorum, qui Reginæ hortatu, propè de via reuerſi, ab incepto deſtiterunt. At Vitoldus anterioribus ſucceſſibus ineſcatus, dimoueri ſe de ſententiâ non permiſit. Cum Crucigeris inprimis tranſegit, qui non modò pacata omnia abſenti promiſerunt, ſed etiam ex noui fæderis formula, quingentos delectos ſuppeditârunt. Hâc curâ Vitoldus liber, ſecuriùs Samogitiæ ac Podlachiæ incolas ad idem bellum exciuit. Nobiliſſimi quique Polonorum, Militiæ illi velut ſacræ,contra religionis Chriſtianæ hoſtes Mahometanos, ſponte ſua nomina dederunt. Raphaël Comes de Tarnow,Spitko de Melsztyn Palatinus Cracouienſis, Socha Palatinus Plocenſis, Ioannes de Glowaczyn Palatinus Mazowiæ, Ioannes Dabrowski, Dobrogoſtus Warszycki, Samotulski, Oſtrorogius, Pelikus, Mikocki, Wokasz, alijque proceres. In exercitu verò Lituano, præter alios magni nominis primores, quinquaginta Principes,Magnis Lituaniæ

Diſſuadetur à Rege & Regina.

A Vitoldo apparatur.

tuaniæ aut Russiæ Ducibus orti, numerabantur.

A. 1399. Inuadentibus Scythiã Ediga cũ immẽsis copijs occurrit.

Contractis Kiiouiam vniuersis copijs, promotisque versùs Scythiam signis, nullus in ingressu hostici miles occurrit: interiores etiam Prouincias nemine obsistente peruagati, Psolam, & Solam fluuios absque certamine transierunt. Circa Worslam flumen Ediga Tamerlanis Legatus, cum ingentibus Scytharum agminibus apparuit. Ad conspectum innumeræ prope multitudinis, quisque priuatim fortunæ publicæ augur, ex viribus hostium, de euentu pugnæ ominari, ferociam suam præteritam damnare. Delatâ re in consilium, communi sententiâ decernitur, tentandos priùs pacis mentione Barbarorum animos: vbi enim exiguâ aut nullâ victoriæ spe pugnare cogimur, temerarij non fortis viri est, nolle priùs omnia honesta experiri, quàm pugnam. Missus ad hostes Spitko Palatinus, pronos in pacem barbaros reperit. Id posteaquam ad suos reuersus palàm in consilió retulit, prudentiores inclinabant, vt æquis honestisque conditionibus de pace transigeretur. At iuuentus nobilior, sanioribus pro tempore consilijs, spiritus feroces frenare nondum assueta, fremere: materiam gloriæ timidorum sententijs sibi eripi, clamare: veniam ac signum inuadendi, non tam sui, quàm vniuersæ Christianæ religionis hostis, postulare. Adhæc Vitoldus, ipse quoque pugnæ auidus. Non virium diffidentiâ, aut victoriæ desperatione prælium hactenus distuli: sed ne quid agerem, absque eorum consilio, quorum armis ac pectoribus vincendum esset. Tanta

Ad pacẽ̃ se pronum ostendit

Iunioribus ac Vitoldo pacẽ spernentibus.

ta itinera emensi, tot difficultatibus superatis eò vsque progressi, vbi in conspectum spontè quæsiti hostis venimus, vt verbis non manu, decernamus, ferre non possum. Cùm agendi tempus instat, nihil iam superest, nisi audere. Promptum iuuentutis ad pugnam animum, in optimum victoriæ nomen accipio. Colluuies hæc barbarorum, non iustus exercitus, sagittis tantùm arcuque edocta præliari, non feret generosum militem, postquàm is collato pede, gladijs ac ferrearum fistularum globis, rem agere cœperit. Baiazetes Turca debellatus, neminem terreat: facilè vincitur, qui aduersis Superis pugnat. At vos Christiani, Numini vero, quod colitis, fidite: aderunt eius auxilia piæ causæ; modò vos solitæ, ac toties probatæ vestræ fortitudini, nolitis deesse. Hæc Vitoldus: at longè aliud euentus, superis ita volentibus, tulit. Dato prælij signo, prope sine pugna, superiorem hostem fecit, ipsa multitudo. Media legio, cui Dux Demetrius Corybutus præerat, in oppositam hostium aciem, quà confertissimus eques constiterat, illata; non armis, sed equorum multitudine obtrita, cum Ductore suo tribusque eius filijs Iwano, Skindero, atque Andrea, interijt. Mox ala vtraque, ac subsidiariæ legiones, ita ab hoste circumfuso cinguntur; vt nec locum ad impetum in hostem faciendum, neque viam ad deserenda signa reperirent. Medij inter hostes intercepti, prope omnes sunt deleti, neque tantùm promiscua capita, sed & præcipui Ductorum. E primoribus Polonorum soli euasêre Ostrorogius, & Samotulski. Spitko

A. 1399.

Prælium committitur.

Profligantur Vitoldiani cæsis plurimis procerum.

A.1399. tko cùm fugâ ſibi conſulere potuiſſet, in confertos hoſtium impetu facto occubuit. Vitoldus cum Suidrigelone ægrè cædi caput pernicibus equis ſubduxerunt. Manſerunt cæſi in campo, Andreas Vigundus frater Regius, Demetrius ac Theodorus Duces Wolski, Vitoldi ex Patrico nepotes, Hlebus & Simon Patrui Iagelonis Corybuti nepotes, Iwanus Kiiouienſis, Hlebus Smolenſcenſis, Michaël Podbereski, Iwanus Bielski, Duces, Ioannes Iewlaskowicz, Iamuntowicz, & alij Lituani ac Ruſsi proceres. Scythæ neque tantâ clade, neque opimis cæſorum fugatorumque ſpolijs contenti, victoriam vlteriùs proſequuntur. Prouincias Ruſſiæ Vitoldo ſubiectas, infeſtis armis aggreſſi, Seueriâ vniuersâ, Volyniâ, atque Kiiouienſibus agris euaſtatis, vrbem Kiiouiam obſidione cinxerunt. Ferendæ illi vtcunque comparata Vrbs, depellendæ omnino impar erat: ſed neque Scythis ad oppugnationem apertam, aut apparatus, aut animus. Itaque cùm maiore pertinaciâ, quàm fructu, ſeptam diu tenuiſſent: tandem deſperatâ expugnatione, vnde ferro non poterant, auro ſe inde depelli permiſerunt, numeratis ſibi tribus aureorum nummûm millibus.

Scythæ Ruſsiam vaſtant & Kiiouiam obſident.

Mortuus eodem anno eſt primus Vilnenſis Epiſcopus Andreas Waſilo. Sed & Reginæ Heduigi idem annus vltimus fuit: filiam enixa, vitâ eſt functa: quæ res mærorem Lituaniæ non parum auxit. Erat ſiquidem Princeps Lituanis ſingulariter addicta, omneque ſtudium ſemper intendebat, ad eorum iuuentutem omni diſciplinarum genere excolendam. Ea de cauſa, cùm necdum Cracouiæ publicum literarium gymnaſium eſſet erectum, Pragæ in Bohemia Collegium pro Lituanis exſtrui curauerat, atque amplis reditibus inſtruxerat. Rex & publicâ clade & priuato mærore anxius, domeſticum vulnus ferè magis ſentiebat. Quòd enim nullam haberet maſculam prolem, ex Heduigi ſuſceptam, ſubuereri cœperat, ne coniuge regni hærede elatâ, ipſe quoque Poloniâ excedere cogeretur. Deguſtatâ ſemel imperij dulcedine, horrebat priuatam vitam animus: timenti autem, nil proniùs erat, quàm ſuſpicari. Quare conſultò in Ruſſiam ſeceſſit, vt ab eo loco tum animos Polonorum diſpiceret, quò inclinarent; tum rationes iniret, quibus, ſi fortè Poloniâ excluderetur, amoto Vitoldo, Lituaniæ imperium reſumeret. Neque priùs ijs curis ſolutus eſt, quàm Poloni proceres, regias ſuſpiciones odorati ſpopondiſſent, eo viuo, neminem alium in Polonia regnaturum.

Heduigi Reginâ mortuâ.

Regis Iagelonis anxietas.

A.1400. Eâ ſponſione Rex erectus, animum ad ſecundas nuptias flexit: duxitque coniugem Annam Hungaram Ciliæ Comitis filiam, Caſimiri Poloniæ Regis neptem. Nuptialibus feſtis, præter alios Principes, interfuit cum coniuge Alexander Vitoldus. Actum eſt inter illum & Regem de renouando Poloniæ ac Lituaniæ fœdere: at commodiùs viſum, ſi id negotij in Lituaniam differretur. Intereà tamen Andreas Vigundus Dux Starodubij datis literis fidem ſuam obſtrinxit Regi, ſe Vitoldo mortuo cum alijs per Lituaniam Ducibus, nullius alterius

& ſecundæ nuptiæ.

A.1400. imperium agniturum, quàm Regis Poloniæ Iagelonis. Vitoldus in Lituaniam reuersus, memor accepti nuper ab Optimo Numine beneficij, quo ex anni superioris clade incolumis euaserat, ad argumentum gratæ voluntatis, Sacerdotibus Ordinis D. Francisci, Caunæ primùm, deinde Osmianæ, templum cum asceterio munificè erexit, ac dotauit.

A.1401. *Iagelo fædus inter Poloniam, & Lituaniam instaurat.* Proximâ hyeme Rex Iagelo in Lituaniam venit: ab eius aduentu publico gentis vniuersæ conuentu Vilnam indicto, fædus Polonicum curâ exactiore instauratum est. Ampla enim erant nimis Iagelonis promissa, Polonis regni causâ factâ: sed impletu ardua, atque ideò cautioribus suspecta. Quare iteratis literis, ac sponsionibus procerum Lituaniæ, ea firmari Poloni volebant. Præstitum id est, in hoc conuentu, legibus eiusmodi disertè expressis. Lituaniæ ordines, publico monumento testatum facerent, de libero ac concordi omnium consensu, Lituaniam cum suis Ducatibus ac Prouincijs, Regno Poloniæ accessisse: decedente Vitoldo, Lituania cum vniuersis sui iuris ditionibus ad Regem regnumque deuolueretur: principatûs Nouogrodensis portio, cum aliquibus latifundijs Sigismundo Kieystutiadæ, in patrimonium cederet, eâ tamen adiunctâ conditione, si in Regis ac regni obsequio permaneret: vxor Vitoldi, possessionibus dotis nomine sibi addictis, quoad viueret, liberè frueretur: rege vitâ functo, neque Lituani, exclusis Polonis, Ducem Lituaniæ; neque Poloni, exclusis Lituanis, Regem Poloniæ legerent: vtrique

que

que genti hostes communes forent; mutuisque se inuicem auxilijs in omni bello iuuarent. Addiderunt aliqui scriptores, cautum quoque fuisse, vt Iageloni vitâ functo Vitoldus in regnum succederet: at huius rei nulla vestigia in ipsis rei actæ tabulis deprehenduntur. Cùm Principes publicæ quietis commoditate vsi, in firmanda populorum concordia occupantur, ad Podoliæ confinia, per Romanum Petrilowicz Palatinum Valachiæ turbari cæptum. Verùm à Suidrigelone Podoliæ gubernatore maturè domitus, carceribus pœnas temerè sumptorum armorum luit. Neque priùs sibi, ac Dominio Valachiæ, seu Daciæ, restitutus est, quàm regiâ auctoritate intercedente, libertatem impetrâsset, his conditionibus: Valachia Regno deinceps subiecta, perpetuò maneret; Romanus verò in obsequio Regis: vtraque conditio sponsione ac iureiurando Romani roborarentur. A.1401. *Valachi Podoliam infestantes domãtur.*

A.1402. *Iagelo oblatum Bohemiæ regnũ non acceptat.* Bohemi quoque Iagelonem, vix nouo bello non implicauerunt. Destinauerant illi Vencellaum Regem imperio mouere, insignem eius ignauiam perosi. Vt itaque contra vim, externâ se potentiâ munirent; Iagelonem ad capessendum Bohemiæ regnum, splendidâ legatione inuitabant. At cautior erat Iageloni mens, quàm vt eam fulgor diadematis oblati perstringeret, ne penitiùs peruideret, quantùm sibi periculi, curarumque eâ legatione accerseretur. Nouerat probè, regna ampla, ingenijsque ac moribus populorum diuisa, ægrè vnius imperio circumagi: supremo Numine, sic res

humanas

A.1402. hnmanas temperante, vt quemadmodùm vnum caput vni corpori, ita vnus Rex vni populo, ſit neceſſarius. Cogitabat, quantacunque Venceſlai ignauia eſſet, non eſſe tantam, vt amiſſi regni vulnus non ſentiret: neque Sigiſmundum eius fratrem Hungariæ Regem pacatè laturum, tam fratris exilium, quàm adſciti Principis in fraterno ſolio regnum. Huſſij quoque concionibus facta in Chriſtianis religionibus mutatio, totam prope Bohemiam grauibus iam turbis inuoluerat. His ſecum perpenſis, non grauatè Iagelo legationem Bohemorum repulit, illud maximè prætendens quòd nollet iſthic regnare, vbi populus Hæreticæ factionis, Chriſti & Eccleſiæ eius iugum, excuſſiſſet.

A.1403. Breuem in Lituania pacem, nouum è vetere, malè extincto fomite, bellum exardeſcens excepit. Georgius Suetonſlaides, Smolenſciâ nuper exutus, ad belli materiam, quam amiſſi Principatûs deſiderium ſuppeditabat, ſolam occaſionem quærebat: neque alia commodior viſa, quàm cùm Vitoldus clade Scythicâ attritus, vt virium, ita terroris, minùs habebat. Collatis itaque cum ſocero, Rezanenſium Principe, conſilijs & armis, inuaſit Smolenſciam. Vrbis quidem, arciſque Smolenſci, occupatio, non difficilis fuit: quòd in ea plerique ac præcipuè nobilium, factionem Georgij ſequerentur. Admiſſus illorum proditione intra mœnia, extremè in Vitoldianos deſæuijt: non promiſcuus tantùm miles, ſed vniuerſi nobiles, vnà cum Romano Branſcij Duce, Smolenſciæ Gubernatore, cæteriſque primoribus

Georgius Smolenſciā occupat.

bus cæſi ſunt; ægrè eius coniugi ac paruulis liberis vita donata. Vitoldus quiete potiùs ad reparandas vires egebat: verùm ne rebellionis inultæ exemplum, ſpem audaciamque rerum non infeliciter nouandarum, ad viciniores Prouincias vulgaret; rapto, quem potuit habere, popularium exercitu, & paucis Polonorum cohortibus ſtipendiarijs, quibus plurimùm fidebat, maximis itineribus Smolenſciam petijt. Georgium ſuos in campo opponere auſum, prælio fudit. Smolenſcum cum Prouincia vniuerſa recuperauit, atque in formam (vti vulgò dicitur) diſtrictûs, redegit. Georgius deſperatis rebus in Hungariam vſque profugit: vbi Sigiſmundi Regis ſigna ſecutus, in prælio globo traiectus, interijt. A.1403.

Vitoldus eam armis recuperat.

Redditâ inde pace, ab alia parte, nouæ per Suidrigelonem turbæ ſunt excitatæ. Ex fœdere nupero, obtinebat Podoliam, quam Rex à poſteris Spithonis redemptam illi attribuerat: in Polonia verò arces Striium, Sydlouecium, Stobniciam, Vſcie, cum earum latifundijs. Prætereà ex ſaliſodinis in ſingulos annos, mille quadringentarum Marcarum Polonicarum penſionem percipiebat. Amplum ſatis patrimonium, & magno Principatui par: ſed ſuprema ambienti, quidquid infra votum erat, pro exiguo habebatur. Iterum itaque in Pruſſiam tranſijt, vt Crucigerorum auxilijs Principatum Lituaniæ inuaderet. Vaſtata eſt miſerè, eâ Crucigerorum expeditione Lituania. Vitoldus enim, inſperato bello circumuentus, exercitum, quem opponeret, ad manum non habebat. De pace verò cum Crucigeris

Suidrigelo nouas turbas concitat.

Crucigeri Lituaniā vaſtant.

A.1403. cigeris inconſulto Iagelone non poterat, quòd id nuper Iageloni ſpopondiſſet. Monitus Iagelo de rerum Lituanarum ſtatu, prior Crucigeros de pace per legatos compellat: neque Crucigeri alienos ab ea animos præ-ſeferunt. Raciunzum ex mutuo conſenſu ad tractandum negotium deſtinatur: quò belli paciſque capita, Rex Iagelo, Dux Vitoldus, & Magiſter Iuningen, conuenerunt ad diem condictum. Multa à Crucigeris proponebantur, quæ procul dubio negotij curſum abrupiſſent, niſi neceſſitatis ratio plus extorſiſſet, quàm honeſti ſtudium permiſſurum videretur. Vitoldus enim ſeu vt Suidrigelonem Crucigerorum ſocietate nudatum, ad alia conſilia adigeret, ſeu quòd iam tunc bellum Moſchouiticum animo coqueret, in conditiones admodùm difficiles conſenſit. Ictum eſt fœdus, præcipuo illius auctore Antiſtite Vladiſlauienſi, his legibus: Crucigeris Vitoldus Samogitiam perpetuo iure addiceret; Rex Iagelo quadraginta millia florenorum numeraret: Crucigeri Dobryniam Polonis reſtituerent: captiui vtrimque fideliter redderentur, transfugæ extra fines eijcerentur, excurſiones mutuæ per confinia ſeriò arcerentur. Concluſæ pacis initium, ab humanitatis officijs Conradus auſpicatus eſt, Rege & Vitoldo Torunium inuitatis. Sed memorabilius eſt, regiæ benignitatis monumentum, quod Iagelo Rex iſthic reliquit. Cùm viſendæ vrbis causâ, equo per plateas veheretur, caſunè fortuito, an malitiâ, à muliercula quapiam è domûs feneſtra coquinarijs ſordibus eſt perfuſus: omnibus ad tantum

Fœdus nouum cum Rege & Vitoldo percutiũt. A.1404.

tantum facinus horrentibus, Rex fœminæ, iam ad aquas damnatæ, vitam & impunitatem impetrauit. Rege ad pacandam eam oram intento, Poloni ſumptis tumultu armis, Suidrigelonis præſidia ac præfectos totâ Podoliâ eiecerunt: legem inſuper plebiſciti inſtar tulerunt, ne deinceps paterentur, alterius quàm Polonæ nationis Præfectum Cameneco imponi. A.1404.

Suidrigelo à Polonis è Podolia eijcitur.

Vitoldus è Pruſſia digreſſus, ne Crucigerorum animi Suidrigelonis artibus nutare inciperent, conſtitutam pacem quàm primùm reipsâ firmare inſtituit. Honorificâ legatione Magiſtrum ac Primores Ordinis Caunam inuitat, vt quæ Raciqzij condicta fuerant, ad exitum deducerentur. Præcipui quique venerunt, atque à Vitoldo Latino Teuthonicoque ſermone conſcriptas tabulas receperunt: quibus Samogitia à Principatu Lituaniæ auulſa, Crucigerorum dominio mancipabatur. Mox deductis Vitoldianis præſidijs, arces, oppida, atque adeò vniuerſa regio, à Magiſtro Ordinis, præſidibus miſſis, conſignata eſt. Graue nimiùm id iugum viſum Samogitis, ad externa imperia non aſſuetis: multæ itaque clandeſtinæ cædes interuenerunt, quibus curiarum pagorumque præfecti, à colonis aut ferro ſunt iugulati, aut aquis ſuffocati. Quamuis verò commune gentis odium omnes ſuſpectos cædium faceret, auctores tamen perpetrati facinoris nullo certè indicio teneri poterant. Vitoldus ideo veritus, ne ſe aut inſtigante aut conſcio, hæc attentari Crucigeri criminarentur: maiore curâ contendit, ne ampliùs ſub inſolito

A.1405. Vitoldus Samogitiã Crucigeris tradit.

Samogitas ad obſequendum Crucigeris cogit.

A.1405. lito iugo Samogitæ tumularentur. Excitatis ad rebellium frenandos motus tribus arcibus, duabus ad Niewiazæ ripas, tertiâ in confluente Dubiſſæ ac Nemeni, præſidia valida impoſuit. Suidrigelo verò Podoliâ depulſus, cùm nequidquam Crucigeros ad præbendum perfugium ſolicitâſſet, ſupplex ad Iagelonem redijt. Rex vt erat molliore ad preces animo, veniâ præteritorum indultâ, cum Vitoldo agit, vt exulem ac ſupplicem fratrem recipiat. Nihil quidem conſtans Vitoldus ab ambitioſo Suidrigelonis genio expectare poterat: nihilominus, ne beneficio negato ſpontè ſibi hoſtem feciſſe diceretur; ita illud præſtitit, ne cum prodeſſet Suidrigeloni, ſibi officeret. Collatis enim Branſcenſi, & Starodubenſi Ducatibus in Seueriam Suidrigelonem remouit, vbi faciliùs in obſequio retineretur, aut ſi ad ingenium rediret, opprimeretur. Solutus ſiquidem curâ Pruſſici belli, vniuerſas vires in Seueriam vertere deſtinauerat, vt tandem diu animo agitatam in Moſchos expeditionem aggrederetur. Belli huius occaſionem, eiuſmodi fuiſſe reperio apud Scriptores.

Suidrigelonem in gratiam recipit.

A.1406. Non amicitia tantùm, ſed etiam affinitas, vti memoraui, inter Vitoldum, & Baſilium Moſcuæ Ducem intercedebat: hinc ſecuriùs ab vtriuſque ſubiectis populis commercia tractabantur, mercatoribus liberè quaquauerſum commeantibus. At quæ tam firma publica pax, quam auaritia priuatorum non euertat? Accidit fortè, Mercatores Lituanos circa Putiwoliam, à Moſchis inuadi ac mercibus ſpoliari. Damnum, non tanti fortaſſis

Belli Moſchouitici occaſio.

fortaſſis erat, vt Principes bello committeret; ſed quæ eloquentia querelarum plerumque eſt, exageratiùs Vitoldo propoſita, vehementer eum permouit: viſaque res non indigna, vt per nuncium & ablata repeterentur, & auctores flagitij ad pœnas poſcerentur. Baſilius verò, non quòd hoſtile aliquid animo volueret, ſed quòd leuius id negotium exiſtimaret, quàm vt tanto motu agitaretur, legatum amicè ac honorificè habitum, infectis rebus dimittit. Hinc Vitoldus non iam ſubditorum iniuriâ, ſed ſui vt opinabatur contemptûs impatientiâ furere: ægritudinem tamen animi & belli cogitationes, quamdiu pax cum Crucigeris eſſet incerta, ſcitè tegere. Ita, ſæpe momenta rerum apud Principes, opinionibus iјſque falſis vertuntur. Pacatis in Pruſſia rebus, exercitum, tacitè, in eum vſum, ante comparatum, in Seuerciam mouit: atque inopinatò Baſilij ditiones inuaſit. Baſilius inſperato bello oppreſſus, rapto quem poterat habere, milite, ad Vgram latè populanti Vitoldo occurrit. Medius is fluuius inter aduerſa caſtra labebatur: atque ea ſola mora fuit, ne mox infeſtis ſignis concurreretur. Intereà Baſilius, ſeu viribus ſuis diffiſus, ſeu nolens tam leui belli occaſioni, clade populorum litari, Vitoldum per legatos, affinitatis veteriſque amicitiæ commonet, atque ad colloquium inuitat. Eam legationem Vitoldus, metûs confeſſionem paciſque poſtulationem eſſe interpretatus, atque adeò dignitatis nuper læſæ reparationem, facilè de cupiditate vindictæ remiſit, neque alienum ſe à pace oſtendit.

A.1406.

Exitus eius belli.

 Congreſſi

A.1406. Congreſſi ſecum affines Principes, citò in pacem conuenerunt: ad veterem eius formam hâc duntaxat conditione adiectâ, vt damna priuatis, Vitoldo bellicas impenſas Moſchus compenſaret. His conſtitutis, cùm inter legiones Pax (populari voce *Mir*) inclamata fuiſſet; nobilis Vitoldianus eques, velut indignatus loco ſigni ad prælium, theſſeram concordiæ ſe audire, altâ voce paci illi obnunciat, ingeminando *Nemir, Nemir*. Hinc commilitonum militari licentia Nemira (cum ante Nagora vocaretur) cognominatus, ad ampliſſimam poſterorum ſuorum familiam, Niemirarum nomen tranſmiſit. Sperari iam poterat cum Moſcho firma pax, niſi vetus turbarum fax Suidrigelo, citò pertæſus eius fortunæ in qua beneficio Vitoldi agebat, pro vſitata inconſtantiâ, nouo bello occaſionem miniſtrâſſet. Sub finem enim huius anni Branſco ac Starodubo arcibus exuſtis Nouogrodecum Seueriæ Metropolim Duci Baſilio prodidit, ipſeque in Moſchouiam fugit.

Familiæ Niemirarum origo.

Suidrigelo Seueriam Moſcho prodit.

A.1407. Cogitur itaque rurſus arma reſumere Vitoldus, & maiore apparatu bellum Baſilio inferre. Ex vniuerſis Lituaniæ Prouincijs copiæ Smolenſcum conuenire iuſſæ. Adfuerunt ad condictum diem Rombowdus Lituaniæ Mareſchalcus cum Lituanis Samogitiſque, Olelko ſeu Alexander Slucenſis Dux cum Kiiouienſibus ac Volynijs, Iwanus Boreykowicz Chodkiewicz cum Seuerijs ac Smolenſcenſibus. Stipendio in Polonia lecti haſtati equites, ductore Shigneo de Brzezia, & centuria pedeſtris à Magiſtro Pruſſiæ, ſuppetiarum, nomine

Vitoldus Moſchouiā inuadit.

ne miſſa. Recenſo ad Smolenſcum exercitu, leuiorem equitatum partitus, Ducibus ea mandata dat, vt varijs itineribus à caſtris digreſſi, quàm latiſſimè in vtramque partem, igne ac ferro graſſarentur, ac demum ad Ocam conuenirent: ipſe verò Vitoldus rectâ medius inter vaſtantes, grauiorem militem atque impedimenta duxit. Neque ſegniùs comparauerat bellum Baſilius: quod quia Suidrigelonis causâ ſuſceptum erat, eius quoque auſpicijs ac ductu geri voluit. Occurrit Suidrigelo maturè ad Ocam cum Scytharum Moſchorumque copijs, atque occupato perdifficili inter paludes paſſu, quà Vitoldo neceſſariò tranſeundum erat, eum ab vlterioribus Baſilij ditionibus excluſit. Inſuper dimiſſis, qui ſiluas inter ac paludes gnarorum ductu latitarent, atque redeuntem, ab agrorum vaſtatione equitatum ex inſidijs carptim affligerent, perdifficilem belli continuandi rationem Vitoldo reddidit. Neque enim ſubmouere de ſtatione hoſtem paludibus tutum, neque vi ſuis aperire viam poterat, quòd peditatum, cuius maximus in ea occaſione vſus fuiſſet, perexiguum haberet. Hærenti autem in eo loco cum exercitu, indies arctior annona futura erat. Verſatâ in omnem partem mente, tandem rurſus equeſtrium legionum ductoribus mandat, vt paludes ac ſiluas plenis ſignis circumuecti, quà per aperta poſſent, ditiones Baſilij latiſſimè vaſtarent. Senſit eam cladem Baſilius, atque ad petendam pacem compulſus eſt. Data eſt ex antiquis conditionibus, Suidrigelone excluſo. Vitoldus, tanquam ſi

A.1407.

Suidrigelo pro Moſchis pugnat.

Moſchus pacem poſtulare cogitur.

A.1407. confecta res omnino esset, designatis ad exercitum ex hostico deducendum Ducibus, ipse maximis itineribus, mutatisque per interualla equis, Vilnam properauit. Non parum intereà, vt fere absentibus belli capitibus accidere solet, exercitus damni accepit. Quamquam enim Moschi Suidrigelonem, vti cum Basilio conuentum fuerat, deseruissent: ipse tamen suæ factionis hominum operâ, Russorum ac Scytharum aliquibus manipulis in prædæ spem sub sua auspicia pertractis, haud leuiter Vitoldianos à tergo ac lateribus inter syluas infestando, carpendoque afflixit. Accessit in agris nuperâ vastatione exhaustis, extrema annonæ penuria. Ægrè ex hisce difficultatibus eluctatus exercitus, vbi Lituaniæ ditiones attigit, aliquâ quiete est recreatus: inde ordinariæ copiæ domos dimissæ; Poloni verò ac Prussi Vilnam vsque perducti, atque à Vitoldo non stipendijs tantùm liberaliter numeratis, sed munificis etiam muneribus adiectis, exauctorati sunt. Eodem anno Iacobus Vilnensis Antistes, natione Lituanus, ex Franciscani ordinis disciplina, ad eam dignitatem assumptus obijt.

Suidrigelo Vitoldi militem affligit.

A.1408. Intereà in Prussia nouum contra Lituaniam bellum fabricabatur. Samogitiæ nuper traditæ possessio, minor Crucigeris videri, quàm vt eius causâ spem Lituaniæ occupandæ negligerent. Cur enim priùs quiescerent, quàm vniuersas Lituaniæ Prouincias sui iuris fecissent? Tantâ contentione per tot annos pugnatum esse, cùm Lituanis res integræ fuerunt; nunc verò otio torpentes quieturos,

Crucigeri bellum in Lituania meditantur.

quieturos, cùm prope debellatam haberent Lituaniam? A.1408. Quomodo apud vniuersam Europam, nomen equestre tuerentur, si pace inde cum Polonis, hinc cum Lituanis firmatâ, gladios rubigine obduci paterentur? Auderent modò rursus ad arma conclamare; procul dubio Iagelonem & Vitoldum, qui nuper belli metu Samogitiam prodidissent, propediem Lituaniâ cessuros. Hæc, hisque similia, occultis sermonibus iactabantur, apud immodicæ cupiditatis homines: sicut flamma aggestâ materiâ augetur, non opprimitur; ita illis libido habendi, ex his quæ habebant, creuerat. Non defuerunt nihilominus inter illos, qui sitim illam sanguinis alieni abominati, Iagelonem præmonerent; vt gliscentis, ac propediem exarsuri belli initijs, obuiaret. Iagelo communicatis cum Vitoldo consilijs, velut alia agendo Caunam venit: atque per speciem humanitatis, primores Crucigerorum ad se inuitat. Inter mutua hospitalitatis, ac nuper initæ amicitiæ officia, sermone ad pacis mentionem deducto, studiosiùs cœpit Rex cum Vitoldo, tum ipse rationes inquirere ac proponere, tum à Crucigeris vestigare, quibus solida inter Prussiam ac Lituaniam pax, stabiliri posset. At ingenti fastu tumidi, augendarumque ditionum auidiores, nihil moderatum aut admittebant, aut adferebant: itaque rebus infectis est discessum. Pauci deinde abiuerunt dies, cùm ipsi Crucigeri apertis inimicitijs materiam ministrârunt. Per continua superiorum annorum bella, cùm & vastationes hostiles omnia exhausissent, &

 volitan-

A.1408. volitantibus circumquaque militaribus signis, coloni agros deseruissent, ad extremam annonæ inopiam redacta fuerat Lituania. Eam afflictæ patriæ sortem, releuare volens Iagelo, viginti maiores naues vario frumento oneratas, secundo Vistulâ ad fines Prussiæ deuehi iubet; atque inde per confinia eiusdem, in propiora Lituaniæ loca, frumentum curribus deportari. Eam annonam omnem Crucigeri in Vistula interceptam, auerterunt: insuper Regi de violato fædere, illatâque iniuriâ per nuncium expostulanti, responderunt: ex æquo & iusto factum, quòd ea sint ablata, quæ Rex Ethnicæ genti contra Christianos suppeditabatur. Quamquàm enim non ignorarent, à viginti & ampliùs annis Lituanum populum cum Proceribus suis, Christianis sacris initiatum fuisse, Ethnicos tamen eos vocabant, vt religionis prætextu, Principibus Christianis (adeoque ipsis Romanis Pontificibus) quorum aut viribus, aut dissimulatione, bella in his regionibus ferebant, imponerent. Rege ad hæc nil properè, ne quid temeritatis immisceretur, mouente: Crucigeri velut pertæsi annuæ ferè quietis, impatientesque differri regiâ benignitate bellum, Lituanos mercatores Ragnetæ in Prussia, ex fæderum fiduciâ securè agentes, inuadunt; aliquos cædunt, reliquos fortunis omnibus spoliant. Vitoldus eo nuncio accepto, siue quòd ferociores ei essent à natura impetûs, siue quòd gnaro rerum, nihil pacati à Crucigeris appareret, hostem præuenire statuit. Rombowdo Mareschalco negotium dat, vt tumultuario

Eique occasionem semel, iterumq; ministrant.

Vitoldi iussu ex Samogitia eijciuntur.

multuario milite Crucigeros, quòd primi fædera rupissent, totâ Samogitiâ, quàm celerrimè eijciat. Executus impigrè mandata Rombowdus, priùs præsidia omnia, cum præfecto Prouinciæ excidit, vniuersâque Samogitiâ est potitus, quàm primorum motuum nuncius in Prussiam peruenisset. Furere inde Crucigeri, ac velut superos furoris sui ministros fore securi, extrema Vitoldo, Iagelonique minari. A.1408.

Ne tamen aut materiam bello, aut initium, ipsi priores dedisse viderentur, Regem per legatum compellant. Legatus explicatis, quæ Vitoldi iussu in Samogitiam acta essent, rem eam inultam abire non posse, Ordinis sui vniuersi nomine protestatur: tum, nisi quàm primùm compensatis damnis Samogitia restitueretur, bellum Lituaniæ apertè indicit: demùm postulat, vt Rex animi sui sententiam disertè aperiat, quidnam apud se constituisset, Vitoldinè defendendi curam suscipere, an verò eo neglecto, pacem nuper cum Crucigeris initam, conseruare? Anceps nimiùm erat quæstio: in arcto constitutus Rex, quocumque animum inclinaret, in præcipitium ruebat. Negaturum se auxilia Vitoldo sponderet! at cum fratre, Patriam, immanissimis hostibus prostituebat. Vitoldum à se deseri non posse diceret! at pro Crucigeris, Germanorum, Vngarorum, ac Bohemarum arma, concitabat. Primores Polonorum qui consilio aderant, Samogitiæ restitutionem impensè apud Regem vrgebant: ita enim accidere solet, vt in Rebus publicis quæ diuersis gentibus constant,

A.1409. Crucigeri bellum indicunt.

A.1409. constant, cuiuis genti sua magis cordi sint; malitque quælibet, alterius potiùs damno, quàm suo negotia transigi. Rex, siue vt quæstionem Crucigerorum eluderet, siue vt moram consilijs sumeret, respondit. Se in ea Republica regnare, in qua de tanti momenti rebus, nihil extra comitia Ordinum, statuere certi posset. Dimisso legato, comitia Lanciciam indicta: in ijs, Nicolaus Kurowski Gneznensis Archiepiscopus destinatus est ad Crucigeros, cum mandatis, vt omni arte ac studio, Magistrum ad amicam cum Vitoldo litis transactionem, solicitet. Non defuit commisso sibi negotio Archiepiscopus: at quidquid tandem ageret, diceretuè, non aliud verbum ex Magistro elicere poterat, quàm iam, iam, suos in armis esse, atque in Lituaniam duci. Intolerabili hominis superbiâ omnem humanam negotij illius tractationem repellentis, ad indignationem motus Archiepiscopus: desine, inquit, Magister, toties, tamque impotenter bellum minari: si quid moueris, nos quoque domi tuæ cum bello habebis. Ad hæc excandescens Magister: Sat, abundè legationi meæ responsum est: quoniam verò de regia voluntate, iam mihi ex tuis verbis constat, ego quoque caudâ relictâ, malo caput aggredi. Nihil moratus, ab discessu legati, signa in Poloniam moueri iussit. Dobryniam vi captam exussit, præsidium omne cum Præfecto Plominski excidit. Eâdem промо ferociâ in Lipinum, ac Ripinum desæuijt. Bobrownikos deditione, Bydgostiam proditione, Zlotoryam octo dierum oppugnatione occupauit. Rex Iagelo

Dobryniã inuadunt & occupant.

Iagelo tantis illorum progressibus coactus, bellum & ipse in Prussiam, per Poloniæ Prouincias edicit. Minores Poloni, ac Volynij, Volboriam conuenire iussi; Maiores Poloni Lanciciam: Coactis ad Radzieiowiam vniuersis copijs, Bydgostiam inprimis exercitus ductus. Accepto ibi nuncio Crucigerorum signa ad Swieszcze confluere, Rex priùs quàm castra eò promoueret, validam delectorum manum præmisit, quæ bellicæ fortunæ experimentum sumeret. Successit res ex voto: magnâ clade Crucigeri profligati sunt, castrisque exuti. Debellatum eo autumno fuisset, nisi Regis Bohemiæ Legati felicem armorum cursum stitissent. Nam apud Regem pacis quàm belli cupidiorem, ostensâ spe eius conciliandæ, facilè euicerunt, vt proiectâ, quam in manibus habebat, rei feliciter gerendæ occasione, concederet fœdus, ad sequentis anni exeuntem Iunium, duraturum. Antequàm eius fœderis nuncius in Lituaniam perueniret, Sigismundus Dux Corybutus, subitâ in Prussiam irruptione, tria oppida cum castellis cepit, viciniamque circumiacentem vastauit. Famâ eius facti in regiam delatâ, Iagelo verebatur, ne vicissim Crucigeri aliquid attentarent: celerrimis itaque nuncijs, factum Sigismundi excusare apud Magistrum, contendit, postulans ne quæ per ignorantiam pactarum induciarum contigerant, fraudi essent fœderibus non pridem constitutis. Crucigeri nihilo ob excusationem regiam mitiores, vindictæ animum ad tempus dissimulàrunt, vt crescente inde Lituanorum securitate, maior reponendi

A.1409.

A Polonis profligantur.

A Lituanis irritati.

nendi eis damni commoditas daretur.

Ad finem vſque hyemis pacata erant omnia: ineunte primùm Martio ad fines Lituaniæ tacito agmine perueniunt, excubijs ad Iskram amnem interceptis, in Volkouiſcenſes vſque agros effunduntur. Volkouiſcum ſubitâ incurſione captum eſt, ingenſque mortalium vis, quæ fortè feſto die ad templum confluxerat, partim cæſa, partim in captiuitatem abducta. Non procul inde Vitoldus aberat, ſed abſque milite: ne itaque ipſe quoque repentinâ clade inuolueretur, præſertim quòd quantus eſſet hoſtis ignoraret, inter profundiores ſyluas eum impetum declinauit. Sed neque deinceps quidquam mouit, ne nouo motu coaleſcentis pacis negotium abrupiſſe eum Crucigeri criminarentur. In Iunium vſque, quietæ permansêre partes: Crucigeri ex ſumptæ vindictæ voluptate, Vitoldus verò fæderum religioniſque reuerentiâ. Tantùm temporis ex fædere, paci conſultò indultum fuerat, vt intereà Venceſlaus Bohemiæ Rex, de pace perpetua cum aduerſis partibus tranſigeret. Sed ab homine ſuarum etiam rerum extremè negligente, quid ſolidæ operæ circa aliena nauari poſſet? Nihil omnino ſeriò per tam longum armorum ſilentium, de vlteriore pace actum eſt. Haud temerè igitur Iagelo ſuſpicatus, rem omnem eò deduci, vt tandem armis decernere neceſſum foret, Breſtiam Lituaniæ excurrit, vt cum Scytharum Regulo, atque Vitoldo de bello conferret. Ibi communi conſenſu belli contra Crucigeros vniuerſis viribus gerendi ſtetit ſententia: at

A. 1410. Lituaniã infeſtant.

Iagelo bellum cõtra Crucigeros decernit.

at eo bello Sigiſmundum Imperatorem, Venceſlaumque Regem, non inuoluere, neque poſtrema, neque parùm momenti rebus allatura, pars conſilij erat. Subtractis enim Hungarorum, ac Bohemorum auxilijs Crucigeros reſiſtendo pares non fore, non ex vano coniectabatur. Durabat quidem adhuc fædus, in ſedecem annos, inter nominatos Principes, Poloniamque ac Lituaniam, initum; ex cuius formâ, auxilia Crucigeris miniſtrari non debebant: at pronum erat metuere, ne religionum atque æqui auctoritas, hominum linguæ ac generis communione, iunctorum reſpectui, cedere cogeretur. Sumpſit id negotij in ſe Vitoldus: atque Gaſtoldo, Romboudo, Radiuilo, proceribus, in comitatum adſcitis, ad Cæſarem eſt profectus. Conuenerat etiam ſecretis conſilijs, ſolo Regni Procancellario Traba conſcio, vt ſi Vitoldus Cæſarem fratremque eius non alieno à ſuis rebus animo deprehendiſſet, Iagelo quoque ad firmanda fædera, quàm celerrimè occultis itineribus occurreret. Quamquàm verò Vitoldus nihil eorum omiſerit, quæ ad conſeruandum cum Sigiſmundo & Venceſlao fædus profutura exiſtimabat: omne tamen eius ſtudium in irritum abijt. Sigiſmundus imprimis diſertè profeſſus cauſam Crucigerorum, à ſe deſeri non poſſe; negabat Polonis ſe amicum fore, ſi illi Crucigeros bello laceſſerent. Deinde multis, (inter quæ erat promiſſum Regij pro Lituaniâ diadematis) ſolicitare Vitoldum contendit: vt, cum Prouincijs ad Lituaniam pertinentibus, ſecedat à Polonia. Execratus eas

A. 1410. Sigiſmundum Cæſarem in amicitiâ conatur retinere.

 machi-

A.1410. machinationes Vitoldus, cùm nihil pro fœderum conſeruatione, cuncta contra eorum fidem agi videret, inſalutato Imperatore, in Poloniam abijt. Aſſecutus celerrimo curſu Imperator abeuntem, poſt varia hoſpitalitatis priuatæ officia, munificè donatum, ac exquiſitis promiſſis oneratum dimiſit. Vitoldus in Poloniam delatus, apertis Cæſaris conſilijs, Iageloni auctor fuit, vt contemptâ Hungaricâ, Bohemicâque amicitiâ, vtpote nihil commodi rebus eius allaturâ, bellum omni ope contra Crucigeros maturaret. Rex certus belli, nihil neglexit, quod ad tentandas pacis vias, ex nupero fœdere, ſeruiebat. Lectos è Polono Lituanoque ſenatu, viros Principes, ad Venceſlaum Romanorum iam Regem, miſit, vt quemadmodùm ſpoponderat, ſuo arbitrio pacem ſtabilire contenderet. At Venceſlaus longè diuerſa ab ijs, quæ ſuperiore anno per legatos Iageloni promiſerat, agebat: conatus inſuper ſoluere fœdus, quo Poloni Lituanique, in vnam coaluerant Rempublicam. Perſuadere Polonis voluit, vt excluſis Lituaniæ Principibus, deinceps ex Germania Regem Poloniæ ſeſumpturos ſponderent; ſi pacem aliquam inter Crucigeros & Poloniam ſtabiliri optarent. Indignitate rei, tamque impudente hominis calliditate offenſi legati infectis rebus redierunt: intereà verò, elapſo Iunio bellum adoleuit; quod ab alijs copioſè ſcriptum, mihi eâ tantum parte memorabitur, qua Lituanorum res attingit.

Eodē ſucceſſu cum Venceſlao Rege agit.

Completo induciarum tempore, cum Iagelo Polo-

niæ vniuerſæ vires in bellum Pruſſicum expedit, Vitoldus cum Lituano exercitu, & Scytharum Trans-Volgenſium legionibus, quas in eius belli vſum non paucis menſibus, in Lituania aluerat, maturè ad Czeruinſcum oppidum conſtitit. Inde ante Iagelonis aduentum trifariam exercitum partitus, leuiores equitum turmas, ad vaſtanda propinqua Pruſſiæ miſit. Edita non leuis vaſtitas: qualem meritò expectes ab ea gente, cui pectus ad clementiæ moderationem, veræ religionis cognitio nondum emollierat. Templa, & quidquid in illis maximè Sacroſanctum, fœdè violata. Atque, vt quædam regiæ ditionis oppida, loco viciniora fuêre, ita cladis eiuſdem communione faciliùs ſunt inuoluta. Non Scythæ tantùm, gens Mahometanæ ſuperſtitioni addicta; ſed etiam Lituani aliqui è gregarijs, nondum ſacris Chriſtianis initiati, communi famâ, facinoris auctores notabantur. Tremere itaque Polonus miles contra Vitoldi ſigna, tamquam ſacrilegio commilitonum polluta: itaque, tum ad placandum Numen, tum ad eximendum Diuinæ vltionis populo metum, graues in facinus quæſtiones, Principum mandato habitæ; atque Lituanorum aliqui noxæ conuicti, ſuſpendio in caſtrorum conſpectu necati. Iam Grinualdiam Iagelo cum exercitu peruenerat. Crucigeri quoque nihil ex aduerſo morati, eductis in campum inſtructâ acie ſignis, prælium vrgebant. Rex pientiſſimus, haud ignarus, vt bella ipſa ex humanis affectibus plerumque originem habere, ita victorias ſolius Numinis nutu diſ-

A.1410. Exercitus in Pruſſiā ducitur.

Confinia Pruſſiæ ab exercitu Vitoldi vaſtātur.

Sacrilegia Lituanorū puniūtur.

Ad Grinualdiam caſtra conferuntur.

*A.*1410. *Rex prælij euentũ Deo commendat.*

pensari, ante sacras aras, cùm intereà incruento sacrificio litaretur, in genua prouolutus, imminentis prælij fata, supremo rerum omnium arbitro commendabat. Orantem interpellat Vitoldus: hostem sub signis versùs castra progredi, nunciat; monet absisteret alia agere, cùm venisset tempus, quo ferro de summa rei decernere opus esset. Rege nihilominus inchoatæ pietatis opus, ad finem vsque sacrificij constanter prosequente, è tentorio se proripit, ocyùs cum Lituanis in aciem prodit, dextramque alam sub quadraginta signis occupat, eo maximè consilio, ne aliqua tergiuersationis specie, animi hostium augerentur. Magister Crucigerorum Conradus victoriæ securus, atque inde moræ impatientior, plenâ fastu legatione Regem ac Vitoldum in prælium prouocat. Duos enses strictos, vnum dextrâ, alterum sinistrâ ferebat legatus: hic vbi surgenti ab orando Regi obuiàm occurrit, Magistri sui nomine moram metumque exprobrat; si arma ad prælium deessent, vnum Regi, alterum Vitoldo gladium à Magistro offert. Imperturbato adhæc Rex animo, vultuque: Bene est, inquit, accipio lubens omen, Hostis in iugulum suum, ferrum ministrantis. Mox dimisso legato, Dei ac Deiparæ Virginis, Sanctorumque Indigetum auxilium breuiter inuocat, signumq; pugnæ cani iubet. Prior Vitoldus suos in hostem mouit: at illi vt eminus coniectis in hostem sagittis non leuiter equitatum, cum cadentibus nubis instar ab alto iaculis confoderentur, afflixerunt; ita leui armorum genere inferiores longè, collato

A Crucigeris fastuosè ad prælium prouocatur.

Commissa pugna Lituani cãpo pelluntur.

*A.*1410.

collato pede conferti sque gladijs, grauem ferro militem non diu tulerunt. Vrgebat pugnam inter primos Vitoldus: & modò labentes ordines instaurabat, modò referentes pedem, conuitijs atque gladio in prælium reuocabat. Vicit tamen fortissimi Ducis curas, totâ mole incumbens hostis leui equitatui. Ad iugeri interuallum primò tota ala sensim cessit; mox pars in effusam fugam abijt: pars, ac præsertim Smolenscenses, postquàm diu hostem fortiter sustinuit, Polonorum se signis coniunxit. Iam Vilnenses, Trocenses, Samogitæ, Nouogrodenses, ac Volynij, amisso D. Georgij prætorio signo extremè periclitabantur: cùm Poloni fuso dextro hostium latere, in sinistrum de Lituanis prope triumphans, magno impetu inuehuntur. Solutiores iam erant ab ea parte ordines, alijs ad insequendum fugientes effusis, alijs spe victoriæ negligentiùs signa obseruantibus: repentè itaque mutatâ prælij fortunâ, victores suâ opinione, vinci cœperunt. Magna in hoste strages edita: quadraginta bellatorum millia cæsa, atque in ijs treceenti militaribus functi præfecturis, cum ipso ordinis Magistro Conrado. Ex Polonis, quorum virtuti plena huius victoriæ laus debetur, pauci occubuerunt: maiore longè numero Lituani ac Russi; vt vel inde intelligi possit, violatorum nuper sacrorum pœnam hanc fuisse, quòd infeliciter pugnauerint. Captiuorum militum quatuor supra decem millia numerata, cum tribus belli Ducibus: Vitoldus duos dumtaxat sibi poposcit Marquardum Salizbachium, & Sumbergum, in quos

Poloni Crucigeros profligãt, magna in eis strage editâ.

A.1410. quos offensiore animo erat. Impudentiùs illi Matrem Vitoldi in publico comitiorum consessu aliquando prosciderant: ad penam itaque eos dedi sibi impetrauit.

Iagelo Mariæburgum obsidet. Partâ tanti nominis victoriâ, Scythæ per Prussiam igne ac ferro obuia iussi exscindere; robur exercitûs Mariæburgo admotum. Cessisset procul dubio arx fortunam prælij secuta, nisi fraude Hermani Liuoniæ Magistri spes tanta in irritum abijsset. Tardauerat ille ad prælium Grinualdense, cum valida Liuoniensium Crucigerorum manu, atque ad cladis nuncium, haud procul Hollando oppido substiterat. Ea re in castris regijs vulgatâ, iubetur Vitoldus cum suis, atque duodecim Polonorum cohortibus, obuiàm ire. Ad Passeriam amnem nactus hostem Vitoldus, iam eum aggredi parabat, cùm Hermanus prælio haud dubiè impar futurus, ad fraudes consilia flectit, & inopinatâ legatione Vitoldum sistit. *Fraude Liuoniæ Magistri, irrito euētu.* Aiebat legatus: fractâ proximo prælio Crucigerorum, sociorumque potentiâ, ac præcipuis ordinis capitibus aut cæsis, aut captis, ex paucorum Liuonum cæde, nihil vel ad gloriam, vel ad commoda Vitoldi atque Iagelonis Regis accessurum: si verò Hermanus cum quingentis dumtaxat comitibus Mariæburgum ire permitteretur, effecturum eum procul dubio, vt victoribus tantæ victoriæ fructu, nempe pace, citò frui liceret. Fore enim tantùm auctoritatis Hermano, apud reliquias Ordinis, quas Mariæburgi Rex obsidione teneret, vt eo suadente facilè consentiant, ad reliquum, quod belli calamitatumque superest, perpetuis

tuis fæderibus redimendum. Mariæburgi expugnationem, vel ipso Vitoldo (vti eius munitionis gnaro) non diffitente, satis arduam, non posse esse Regi incruentam: si verò Hermanus cum obsessis agere permitteretur, victos, sine ferro ac sanguine, clementiæ Regiæ se permissuros. Inuenit dolus Hermani, & oratio legati, fidem apud Vitoldum: dati, qui Hermanum cum quingentis eius comitibus, absque iniuria ad Regem deducerent. Neque Rex cautior: eisdem promissis deceptus, cum tam valido delectorum præsidio, arcis ingressum Hermano permisit. Ille intra mænia receptus, iam sui securus, quæ animo complexus fuerat diuersa à verbis, exequi: præsidium arcis, accessione suorum animosius, ad defensionem hortari: mænia tormentis prostrata, reficere: Equites Ordinis, cladi superstites, ad instaurandam collapsam Rempublicam excitare: arces alias, ac ciuitates per occultos nuncios in fide confirmare. Ita Mariæburgi expugnatio Hermani dolo ac operâ, difficilior longè reddita, bellum insequentem vsque annum protraxit, tandem pace conclusum. A.1410.

Ad Torunium de fæderibus actum est, ac conuentum veteribus conditionibus, nisi quòd Crucigeri Samogitiâ cesserint, post Iagelonis ac Vitoldi fata eam recepturi. Ea res non leuiter Polonorum animos offendit. Videbant siquidem, suæ victoriæ vtilitatem aliquam Lituanis obuenisse, sibi verò prope nullam. Tacti huius inuidiâ maximè Vitoldus laborauit, quòd crederetur suis artibus eum impulisse, vt Rex suapte erga Lituaniam pronior, A.1411. *Pax cum Crucigeris stabilitur.*

A.1411. pronior, in eas conditiones consentiret. Constitutâ pace in Prussia, Rex per Lituaniam, reuersus est in Poloniam.

A.1412. *Cimbarca neptis Vitoldi, Austriæ Archiduci nubi* Cracouiam cum triumpho ingressus Rex, Cimbarcam Kieystudi neptem, Semouiti Mazouiorum Ducis ex Alexandra Vitoldi sorore filiam, Ernesto Archiduci Austriæ, magno apparatu, solennibusque cærimonijs in coniugium dedit. Adfuerunt plures Principum legati, inter primos, Cæsaris Sigismundi. Hic, quæ nuper inter Polonos ac Lituanos serere cœperat, vnde horum populorum secessio succresceret, neque hâc occasione maturare neglexit. Securiùs nimirum Principum machinationes, sub hospitalitatis velo, & latent, & adolescunt. *Sigismũdus Cæsar Polonos cũ Lituanis committere conatur* Ad retinendam speciem amicitiæ, atque ad eximendam omnem suorum consiliorum suspicionem, publicas tabulas per legatos Iageloni Sigismundus misit, quibus in gratiam Iagelonis antiquabatius, quod, Hungarici regni titulo, in Haliciam & Podoliæ partem prætendebat. Priuatim verò mandata legatis dedit, vt Vitoldum talibus promissis inescarent, quæ, si à Polonis, vtpote rebus eorum non leue allatura præiudicium, non permitterentur; haud dubiam essent discordiarum materiam præbitura. Extat adhuc eius machinationis in tabulario regni publicum monumentum, Vitoldi ipsius, Nicolai Vilnensis Antistitis, Alberti Moniuidi, & Ioannis Niemira, Palatinorum, manu firmatum.

A.1413. *Iagelo verò Rex nouo fœdere iungit.* Atque ea fortè causa Iagelonem maximè impulit, vt in sequentem annum comitia vtriq; genti indiceret, in oppido

oppido Hrodlo ad Bugum, peragenda. Conuenêre ad eâ frequentes Lituani, non Principes tantùm, & primores, sed etiam equestris ordinis. Consilij eius præcipua fuerunt capita: coniunctionis inter Poloniam ac Lituaniam roboratio, & Religionis Romanæ aduersus quasdam sectas ac superstitiones per Lituaniam propagatio. Quia verò nihil ita amicitias humanas in eadem Republica fouet, tueturque, vt similitudo ac æqualitas: vix sperari poterat diuturna pax, quamdiu Magno Duci Lituaniæ, plus in capita fortunasque nobilitatis Lituanæ, potestatis esset, quàm Regi Poloniæ in suos. Maiore subditorum libertate, temperanda erat omnino Magni Ducis potestas: neque id meliùs præstari poterat, quàm si nobilitate Lituanâ, ad prærogatiuas Polonæ admissâ, omnes æquo iure, veluti vnius Reipublicæ ciues, viuerent. *Lituanos ad prærogatiuas Polorum admittit.* Ita futurum erat, vt deinceps pax atque vnio Lituaniæ cum Polonia firmiùs consisteret: si ampliùs non à solius Magni Ducis, arbitrio atque cupiditatibus dependeret. Lege ergo publicâ in eo conuentu cautum est, vt deinceps Nobilitas Lituana, omnibus prærogatiuis, quas Polona habuerat, gauderet. Princeps in capita possessionesque nobilium, non plus iuris vsurparet, quàm quantùm legibus Reipublicæ permissum. Ius legendi liberè Principis penes Senatum, ac equestrem ordinem esset; ita tamen, ne vel Lituani inscijs Rege ac Polonis Magnum Ducem, vel Poloni inscijs Lituanis Regem sibi adsciscerent. Magistratûs, vt vocant, *terrestres*, ac Senatorum classes, ad

A. 1413.

Polonorum normam instituerentur. Comitijs ab vtrâque simul gente celebrandis, legitimus locus haberetur, Lublinum, aut Pargouia. Agrorum possessiones absque auctoritate Principis, ne venderent, neuè donarent equites. Vt verò eius fœderis societas arctiùs vniuersos stringeret, primores Polonarum familiarum, præcipuos quosque Lituanorum ad earumdem gentilitiarum cerarum vsum cooptârunt. Non quòd eiusmodi Nobilitatis aut argumenta aut ornamenta, Lituanis olim defuissent; cùm etiamnum plerisque familijs vetustissima maiorum suorum insignia, nihil commune cum Polonorum stemmatibus, habentia, sint in vsu: sed quòd plurimùm momenti ad diuersos populos in vnam Rempublicam copulandos, accessurum haud dubitaretur; si familiarum capita, velut cognatione quâdam, cerarum similitudine, secum colligarentur.

Familiæ Lituanæ à Polonis ad vsum stẽmatũ admittũtur.

Religio Lituana legibus Lituanis firmatur.

Deniq; supra Religionis negotio ita sancitum est. Personæ omnes, quas Ecclesiasticas dicimus, earumque Sacerdotia, ac Sacerdotum bona, iisdem quibus hactenus in Polonia fruebantur, priuilegijs, deinceps per Lituaniam fruerentur. Princeps ne officia, aut dignitates, publicaque munia cuipiam, quàm Romanæ religionis homini conferret, exclusis non solùm Ethnicis, sed etiam quibusuis Christianis, qui Romano Pontifici supremo, subijci recusarent. Prærogatiuæ vniuerso equestri ordini collatæ, ne ad eos extenderentur, qui à Catholica religione, & Summi Pontificis obsequio alieni essent. His ita constitutis, atque per Iagelonem, &

Vitoldum,

A. 1413.

Vitoldum, consensumque Polonorum comprobatis, Lituaniæ ordines suam ac posterorum fidem, in sequentes leges obligarent. Magnus Lituaniæ Ducatus, cum omnibus suæ ditionis Prouincijs, irreuocabili fœdere coniunctus, vnitusque Reipublicæ Polonæ maneret, nullaque bella inconsultis Polonis susciperet, post sera Vitoldi fata, eum solum Principem agnosceret, quem Iagelo renunciâsset.

Iagelo & Vitoldus circa conuersionem Samogitiæ laborant.

Republicâ procuratâ, dimissisque comitijs, Iagelo Rex & Vitoldus, ad religionis negotium in Samogitia promouendum, curas omnes verterunt. Magno delectu è Polonia ac Lituania cælestis disciplinæ Magistri euocati, qui rudibus fictorum numinum superstitione implicatis, veri Dei, Diuinarumque rerum notitiam patrio sermone explanarent. Multis omnino laborandum fuit, in eo populo ab auitis sacris abstrahendo: neque ipsi Principes extra partem laboris fuerunt, cùm magis ardua intellectu, ad rudium captum vernaculo sermone explicanda essent. Mixta erat minis, muneribus, promissis, ac precibus doctrina. Nihil autem ita ad persuadendam supremi Numinis venerationem valuit, quemadmodùm insperati illis euentus; quando ea, quę hactenus vt Sacrosancta coluissent, impunè à Christianis Sacerdotibus violari videbant. Ignem sacrum, qui perpetuâ sacrificulorum curâ ad Niewiazam alebatur, extinctum esse, idola euersa, lucos excisos, varia suarum religionum fomenta deleta; deos tamen suos quiescere, neque de violatoribus pœnas sacrilegij exigere;

 gere;

A. 1413. gere; primùm mirari: mox vana esse suorum Numinum nomina suspicari; tandem, quæ tamdiu fuissent reueriti, vt ridicula contemnere. Inito demùm populari consilio, virum ante alios natu grandem delegerunt, qui omnium nomine sic Principes alloqueretur. Hactenus pro cultu antiquorum Numinum, & sacris nostrorum maiorum vsu firmatis, contumaciùs fortè, quàm nostram erga vos subiectionem decuisset, egimus: Est enim ac debet esse, maior Numinum, quàm Principum reuerentia. Postteaquam verò Deos nostros, ita nobis laudatos, vestro iussu violatos, nihil pro se audere aduertimus, aut parùm, aut nihil virium, illis esse minimè dubij, vestro Numini, tanquam fortiori, volentes accedimus, eiusque venerationi nos in futurum mancipamus. Acceptus perhumaniter à Principibus Orator, reliquis fuit auctor, ne exequi morarentur, quod per illum polliciti fuerant. Frequentiores ergo deinde ad audiendos de rebus Diuinis sermones, ediscendaque veræ religionis præcepta, confluebant. Accidisse inter hęc lepidam rem Nicolao Wenzyk Ordinis Prædicatorum sacerdoti, ad populum præsentibus Principibus verba facienti, aliqui memorant. Explicabat fortè de suggestu, creati orbis seriem sacer Orator: cùm grandis natu vetulus sacerdotis sermonem interrumpens, populum elatâ voce alloquitur: Mihi credite viri: Quæcunque ab hoc iuuenculo homine dici audistis, ficta profectò sunt. Vnde enim ille hæc nosset, cum ego tot annos, & prope sæculum integrum, vitâ & memoriâ

Samogitæ religionem Christianã suscipiunt.

moriâ complexus, nequaquam horum recorder? Abijsset tota concio in risum, nisi Rex auctoritate suâ Sacerdoti fidem fecisset apud populum. Perbenignè enim tum edentulum illum, tum reliquos allocutus, edocuit: sacros Oratores, non ea pro concione dicere, quæ ipsi aut oculis suis vsurpâssent, aut ætate attigissent; sed quæ pluribus ante sæculis supremi verique Dei potentiâ effecta, ex maiorum doctrina, scriptorumque vetustitorum monumentis, ac præcipuè, ex Diuinis libris, hausissent. Post laborem diuturnum, superata est tandem rudis populi ignorantia, atque vniuersi doctrinæ Christianæ rudimentis pro captu instructi, sacro fonte ad Catholicam religionem sunt initiati, magnâ Iagelonis, Vitoldique voluptate. Vitoldus ne sine cultore ager relictus, iterum siluesceret, Pontificatum cum sex Canonicorum Collegio erexit dotauitque: sedem nouo Pontificis, ac Cathedræ, Collegioque, oppidum Miedniki, exædificari mandauit, quòd vt eius tempestatis mos ferebat, nullæ adhuc per Samogitiam ciuitates essent. Adiecit alia Sacerdotia minora, Syragolæ, Crosis, Rosienis, Widuklis, Velonæ, Coltinianis, Lucnicis, & alibi, insignibus templis, ac munificis dotationibus instructa. Hæc omnia, quia iam ante animo destinata habuerat Vitoldus, magnificâ ad Constantiense Concilium, nobilium Samogitarum legatione institutâ, supremæ auctoritatis iudicio confimari, procurauerat: vniuersâ deinde Samogitiæ curâ ad Kieyzgailonem delata, Regem Iagelonem in Lituaniam deduxit. A. 1413.

Samogitiæ Episcopatus erigitur.

Longè

A. 1414. Longè diutiùs, quàm optasset, Iagelo in Lituania morari coactus est: quòd pestifera contagio sæuissimè per Poloniam grassaretur. Inchoatam superioris anni autumno luem, hyems subsecuta mirè propagauit: tam insolitâ per Ianuarium ac Februarium auræ tepiditate, vt passim herbæ arboresque vernis floribus contectæ spectarentur. Sedato aliquantùm malo, Rex circa solemnes Paschatis dies Poloniam repetijt: Vitoldus verò nouum bellum orsus est.

Vitoldus bellũ Russiæ Septentrionali infert. Septentrionalis Russiæ, opulentissimæ ciuitates, Plescouia, ac Nouogardia, commerciorum occasione, quæ cum finitimis Liuonibus celebrabant, sæpiùs varia auxilia Crucigeris contra Lituanos suppeditauerant. Non latebat id Vitoldum: neque leuiter eius rei recordatio animum fodicabat, sub vindictæ specie, dominij in florentissimas ciuitates occupandi desiderio. Verùm peritissimus dissimulandi artifex non nisi hoc anno secreta consilia in apertum protulit. Collecto exercitu, cùm nemo intelligeret, quò eum destinaret, inopinatò versùs Siebiezium signa mouit, atque modico certamine locum expugnauit. Plescouiam deinde obsidione cinxit. *Plescouiã deditione capit.* Diu eam ciues constanter ac fortiter sustinuerunt; tandem mænibus integris, animo concidêre Cùm enim inde Vitoldum cæpto operi pertinaciter insistere viderent, inde vires ad diuturniorem patriæ propugnationem impares sentirent: vt vitam fortunasque redimerent, libertatem prodegerunt, ciuitate ac vniuersâ Prouinciâ Vitoldo deditâ. Victor Vitoldus, certâ num-morum,

morum, equorum, pelliumque pretiosarum pensione A. 1414. in annos, tributi nomine, imperatâ, Georgium Ducem Nosŝâ, cum valido delectorum præsidio, gubernandæ ciuitati reliquit: ipse verò, priùs quàm Nouogardensibus ex sociorum fortuna consternatis audacia animusque rediret, vniuersi exercitus robore Nouogardiam aggressus est. *& Magnã Nouogardiam.* Non diu vim tulerunt, famâ Plescouiensis victoriæ iam magnâ parte debellati: citò acceperunt iugum Vitoldi, & tributi annui pendendi debitum. Simon Algimundus Dux Holszanus Prouinciæ administrandæ relictus est: præsidia Lituana munitioribus locis imposita: reliquæ copiæ prosperè domum reductæ. At, quod plerumque temerè occasiones quasuis ad bella captantium, fatum est: dum inquietis armis aliena auidiùs Vitoldus inuadit, domi inopinatum grauiusque longè bellum reperit.

Crucigeri nouũ Magistrum creant. Michaël Cochmeyster nouæ Marchiæ Aduocatus, Equites Crucigerios contra Henricum Plauenium Magistrum concitauerat. Obijciebatur illi nimia facilitas, quâ Benedicto de Macrâ Concilij Constatiensis legato, ad litem de Samogitiæ finibus terminandam misso, consensisset, vt Memelum ac Velona arces, Samogitiæ adiungerentur. Coniecto ob eam causam in Vincula Plauenio, ita reliquum negotium apud Equites temperauit, vt omnium consensu ipse in eius locum sufficeretur. Potitus rerum Michaël, ante omnia fædus nuper ictum, immissis inopinato in Dobryniam vastatoribus, rescidit: ac ne quid sceleris, violati iurisiurandi sacrilegio, *Fædus cũ Iagelone & Vitoldo rescindũt.*

gio,

A.1414. gio, deesset, quoscumque Polonorum intercipi contigit, suspendio omnes enecauit. Gedani, Ragnetæ, & per alia emporia, mercatores Polonos ac Lituanos, fortunis omnibus exutos trucidari iussit. Ad eos motus reprimendos Rex Iagelo Polonas Lituanasque legiones, cum Silesiorum & Morauorum stipendiarijs, in Prussiam mouit. Verùm exiguo, aut nullo operæ pretio ea expeditio stetit: oppida duntaxat ignobilia aliquot capta sunt, & in agros latiùs sæuitum, vastando. In ea excursione dum Lituani solutiùs agunt, Mareschalcus Lituaniæ Butrym, cum illustri viro Nicem in potestatem hostium venit. Reuocato ab agrorum vastatione exercitu, Rex Polonas copias Torunium, Vitoldus Lituanas Culmam duxit. Ægrè ferebat Iagelo eam copiarum diuisionem: Vitoldus tamen in sententiâ perstitit, Culmamque operibus, ac assultibus pertinaciter fatigabat. Maturuerat iam ciuitatis expugnatio, vix paucorum dierum vim laturæ, cùm desperatis rebus ab ingenio remedium Cochmeysterus subministrauit. Comminiscitur Brodnicensis præfecti epistolam, quâ Magistro Ordinis nunciabatur, quàm angusta res esset Brodnicæ: quomodo annonæ ac tormentarij apparatûs penuriâ extremè laboraret. Si Magister prouidere differret, hostis verò arma admoueret, intra aliquot dies ciuitatem perituram. Tabellioni deinde mandat, ita iter moderari, vt velut fortuitò in excubias Vitoldi incidat. Captus Tabellio, epistolaque lecta: sic fabula fidem, auctor fabulæ pretium consilij, reperit. Vitoldus enim nihil

Iagelo in Prussiam exercitum ducit.

Vitoldus Culmam obsidens, eluditur stratagemate.

hil subesse fraudis suspicatus, verùm capiendæ Brodnicæ spe plenus, obsidionem Culmensem properè soluit: neque priùs fraudem deprehendit, quàm ad Brodnicam, cuncta Epistolæ aduersa, expertus est. Licet verò nullo omnino laboris fructu sub muris cum exercitu sederet, non priùs tamen ab obsidione recessit, quàm bello ipsi, finem Pax attulisset. Turcici enim belli moles, Hungariæ impendens, vel inuitos Principes ad concordiam vrgebat. Quare cùm Pontifex Summus, ac commune Christianorum Concilium, pacem inter Regem ac Crucigeros maximè optaret: allaborante Pontificio Legato Lausanensi Episcopo, biennales induciæ ægrè sunt concessæ. Hortabatur insuper Concilium Principes, vt initâ cum Crucigeris pace, aut iunctis viribus arma in Turcam verterent; aut saltem per suas ditiones ituris contra Turcam Crucigeris, liberos transitus permitterent. Vtraque res plena periculi visa; itaque neutra concessa. A.1414.

Pax biennalis in Prussia statuitur.

Plus apud Vitoldum Sigismundi Cæsaris auctoritas valuit. Abiturus ad Concilium, non ex vano metuebat Cæsar, ne per suam absentiam à Tyranno Turcarum contra Hungariam attentaretur: enixè igitur per legatum postulauit, vti eius intereà tuendæ curam, Iagelo ac Vitoldus vellent suscipere. Iagelo certè ex vetere Reipublicæ Polonæ more plurimùm abhorrebat ab eiusmodi occasionibus, per quas Turcico bello Poloniam intricari posse, suspicio esset. At Vitoldus secretioribus pactis Sigismundo obnoxius (Coronæ enim Lituanæ

Sigismundus Cæsar Hungariæ defensionẽ Iageloni, & Vitoldo commendat.

A.1415.

A.1415. cogitationes, ac spes, iam in animum admiserat) nihil negare ausus est: quin & Iagelonem induxit, ne tam religiosam, atque dignitatis plenam causam, regni scilicet Christiani protegendi, negligeret. Quare, cùm hoc anno Machmetes Turca Bosnam, Hungariæ validam vrbem, aggressus esset, vulgatâ eius expeditionis famâ, Iagelo ac Vitoldus grauissimâ legatione egerunt, vt Hungariâ abstineret; bellum minati disertè, nisi eorum legationi annueret. Tantùm momenti eorum Principum auctoritas apud Barbarum habuit, vt ab vlteriore belli progressu deterritum, ad sexennales cum Hungaris inducias paciscendas inclinârit. Orientali quoque Imperatori, armis Turcicis miserè afflicto, ingentem è suis ditionibus annonæ vim, hoc eodem anno suppeditârunt: hæc secundo fluuiorum alueo, ad Euxinum Pontum deuecta, ex Kacibeia, Lituanæ tunc ditionis portu, Constantinopolim maioribus nauibus deportabatur.

Iagelo ac Vitoldus Turcicum ab Hungaria bellū auertunt.

Constantinopolitano Imperatori annonā suppeditat.

Vitoldus à bellicis tumultibus quietem nactus quò securiùs, eò studiosiùs conseruandæ in integro Religionis curas, resumpsit. Sacerdotes, ac Præsules Russorum, vt in sacris cæremonijs Græcum sequuntur ritum, ita errores Græcorum æmulati, eorum exemplo à Summi Pontificis obsequio, & Ecclesiæ Romanæ societate, per Vitoldi ditiones, desciscere incæperant. Mouit ea res Vitoldum, quòd sciret eiusmodi ausu, non leuiter labefactari, quæ à se, ac Iagelone Rege, pro subditorum concordia, in rem veræ Religionis sapientissimè

Vitoldus, Schismain suis ditionibus serpens,

mè fuerant constituta. Quia verò nouitatum harum A.1415. auctores, non è vulgo, sed præcipui Antistites, non obscurè designabantur, ac præsertim qui Græcæ nationis essent: malo serpenti remedium, non poterat aliunde, quàm à publico ipsorum Religionis Antistitum conuentu peti. Itaque singulari studio Vitoldus perfecit, vt concilium pro Russorum natione Nouogrodecum in Lituania indiceretur: cui, ipse quoque Constantini Magni exemplum imitatus interfuit. In eo consilio Gregorius Focius, Metropolitanus Kiiouiensis, Phocianæ inter Russos rebellionis excitatæ, atque propagatæ, auctor deprehensus est, atque in tanti sceleris pœnam, magno omnium consensu dignitate motus. Suffectus est illi Gregorius Cimoulacus Bulgarus, singulari sacræ eruditionis commendatione percelebris. Hic deinde à concilio suæ gentis, & Vitoldo Principe legatus, tum Romæ, tum in generali Synodo, negotium Orientalis Ecclesiæ ad concordiam cum Occidentali reducendæ, impensè promouit. Probabat vehementer Martinus V. Papa eam erga res diuinas in Vitoldo animi propensionem, commendabat constantiam, quâ non Græcorum modò ab Ecclesia secessionem, sed & Viclephianorum errorum sectatores auersabatur: vti literis suis ad Iagelonem datis, contestatus est. At simul vehementer metuebat, ne ob pertinacem ambitionem, nouis discordijs discerperet populos, qui magno Reipublicæ Christianæ bono, arctis fœderibus in vnum coaluerant. Quæ enim ab aliquot annis secretiùs

Per Nouogrodense concilium cōprimit.

Regnū Lituaniæ ambit.

A. 1415. cretiùs inter Sigiſmundum Cæſarem, & Vitoldum de regno Lituaniæ agitabantur: ita variorum ſermonibus vulgabantur, vt nec Romanam Curiam laterent. Quare haud ignarus Pontifex, quàm facilè promiſſi regni ſemina, & quàm altè, in animis Principum, radices agant: maturè Epiſcopum Calmenſem (quem ſolum id au urum publica ferebat opinio) grauiſſimis literis dehortatus eſt, ne Sigiſmundi Cæſaris auctoritate permotus, præſumeret Vitoldum, coronâ ac cæteris inſignibus, ex Romanæ Eccleſiæ more, ad regnum Lituaniæ inaugurare. Ignorâſſe Regem, eas Vitoldi machinationes, vix credi poteſt; illud verò propiùs, diſſimulâſſe: quòd Vitoldi, Lituaniæque ornandæ eſſet cupidior. Itaque ſpecie mæroris, quam ex Reginæ Annæ obitu hauſerat, diluendi; reuerà autem vt Vitoldo confirmaret opinionem, ignorari eius à ſe conſilia, profectus eſt in Lituaniam. Accepit Iagelonem Vitoldus regali magnificentiâ: atque poſt paucorum dierum hoſpitium, ad Reginæ funus Cracouiam properanti, præter alia ampla munera, viginti millia Marcarum Bohemicarum, centum generoſiſsimos equos, quadraginta veſtes pellium zebellinarum, centum togas Perſici operis aureo filo intertextas donauit.

Martinus V. Papa impedit.

Rex Iagelo diſsimulat

A Vitoldo colitur munificè.

Redierunt intereà legati ex Concilio rebus ex voto confectis, cum literis, quibus Archiepiſcopo Leopolienſi, & Vilnenſi Epiſcopo, erigendi Samogitiæ Epiſcopatûs committebatur negotium. At ea res differri debuit aliquantùm, ob ſubitam eamque grauiſsimam tempeſtatem, Crucigerorum largitione, vti aliqui connotârunt, excitam. Celebris ille Scytharum Regulus Ediga, ingentibus copijs inopinato Ruſſiam inuaſit, vaſtatiſque latiſſimè obuijs, Kiiouiam inſuper Ruſsiæ Metropolim, vrbem opibus, ac publicorum ædificiorum magnificentiâ, ante alias claram, ita depopulatus eſt, vt nunquam deinceps priſtino ſplendori reſtitui potuerit. Rex Iagelo hactenus ad arma impiger, calamitatem hanc publicam ſentire viſus non eſt: ita Martium eius pectus, ex Veneris toxico, ad ſenſum tanti mali obſtupuerat. A morte coniugis Annæ ad thorum deſtinauerat animo Elizabetham Pileciam gente, viduam Gradowſcij equitis, ſibi ante ſpirituali cognatione iunctam, quòd Mater eius Iagelonem è ſacro leuâſſet fonte: ea cogitatione abſorptus, alia non curare videbatur. Multa huic matrimonio obſtabant, atque inprimis ſenatûs Poloni conſenſio. Vitoldus quoque peracerbè ferebat Regiam maieſtatem, tam indignè tractari. At quòd ipſe quoque viciſsim ad ſua conſilia Regis aut conſenſu aut diſsimulatione egeret, conſilium Regium publicè non impugnauit. Rex verò ex Vitoldi ſilentio audacior redditus, facilè contempſit, quidquid ab eo matrimonio in domum regiam deriuaretur. Quo tempore Ediga per Ruſsiam ferro & igne graſſabatur: Iagelo nuptialibus feſtis cum Elizabetha Sanoci celebrandis, præſente Leopoldo Auſtriæ Archiduce, indulgebat. Memorabiles nuptiæ populi auerſatione, ſed inprimis tantâ Ruſsiæ clade: quàm ſuperos immiſiſſe publicè credebatur,

Scythæ Ruſsiā populantur.

A. 1416.

Kiiouiam occupatā vaſtant.

Rege intento in nuptias quas omnes auerſabantur.

A.1416. debatur, vt id quod communibus votis populus accusabat, ab ipſis damnatum nemo dubitaret. Eſſe enim quandam conſenſionem inter publicam populi vocem, & ſecretam Numinis Supremi ſententiam, vulgò creditur.

A.1417. *Concilij Conſtantienſis legati perſiciunt erectionem Epiſcopatus Samogitiæ.* Sedatis per Ruſsiam Scythicis tumultibus, Vitoldus Concilij legatos inuitat, vt quæ à conſilio mandata haberent exequi, nollent differre. Vt enim erat concitatiore ingenio, nihil ipſe lentè agebat, & in alijs moras oderat: præſertim quia non alibi magis, quàm vbi de cultu Diuino, populorumque ſalute agitur, mora omnis meritò damnanda eſt. Venerunt maturè Vitoldi rogatu in Samogitiam legati: qui inſtituto nouo Pontifice Mathiâ, Lituano gente, Theologicarum diſciplinarum Magiſtro, nuper in Canonicorum Vilnenſium collegio Præpoſito, vniuerſa quæ ad ordinandas in eo Ducatu Eccleſiæ rationes pertinebant, ad Sacrarum legum præſcriptum, ritè per Octobrem, perfecerunt. A Religionis negotijs ad Reipublicæ curas reuocauit Vitoldum, biennalium cum Crucigeris induciarum, imminens finis. Velonam fuerat indictus conuentus, in quo cer-

A.1418. *Conuentus Pacis gratiâ factus bello terminatur.* ti aliquid, aut de prorogando fœdere, aut de perpetua pace, inter partes ſtatueretur. Sed obſtinatè Crucigeris omnes alias conditiones reſpuentibus, ac intolerabili faſtu Samogitiam, velut ſuam repetentibus, labor omnis in irritum abijt: neque multò poſt, aperto bello per inſidias Crucigeri præluſerunt. Soluto conuentu Rex ſubſtitit aliquantùm Velonæ, animi causâ, quòd in propinquo

pinquo eſſent loca venationibus ferarum, ad oblectationem celeberrima. At, cùm feris intendit, vix ipſe ſe Crucigerorum caſsibus non induit, ægrè ſuorum virtute ſeruatus ab inſidijs, quas Raſtemburgenſis Præfectus, loco ad fallendum opportuno, tetenderat. Hinc mutuæ incurſationes finium ſubſequutæ, atque obuia vtrimque vexata. Dum delectus ampliores inſtituuntur, Vitoldus poſt mortem Annæ coniugis, Trocis è viuis ſublatæ, cum Vliana Iuani Algimundi Ducis Olſzani filiâ connubium apparabat. Matertera erat defunctæ, hæc Vliana. Quare Petrus Antiſtes Vilnenſis conſtantiſſimè obnunciabat, ne eo matrimonio diuinæ humanæque leges violarentur. Atque fortaſſe ſuâ conſtantiâ deieciſſet à propoſito Vitoldum; niſi Ioannes Kropidto Vladiſlauienſis Epiſcopus, qui cum Rege in Lituaniam venerat, eum confirmâſſet. Hic enim pro aſſentatorum more, leges ad genium Principis interpretatus, matrimonium illud ratum pronunciauit, atque ſolitis Eccleſiæ Romanæ ritibus comprobauit. Peractâ connubiali pompâ, ad bellum Crucigeris inferendum omnem contentionem Principes vertêre. Vitoldus, ſeu ex veteribus odijs alienior à Suidrigelone, ſeu nouis indicijs in ſuſpiciones impulſus, ne cùm exercitûs robur in Pruſſiam educitur, domi aliquid turbarum erumperet, Suidrigelonem capi iubet, atque Kremenecij in vinculis aſſeruari. Nihilominus citò conſpirantibus Ruſſis, excubiarum Præfecto Conrado Frankerbergo trucidato, liber dimiſſus eſt. Sibi redditus, ad Sigiſmundum

A.1418. *Rex inſidias Crucigerorum euadit.* *Vitoldus coniugem ducit.* *Vitoldus Suidrigelonem in vincula conijcit.*

A.1418.

Bellum in Prussiam totis viribus susceptum.

mundum Cæsarem confugit, atque inde Cæsare ac Rege Iagelone allaborantibus, ægrè Vitoldo est reconciliatus. Bellum intereà Prussicum iam maturuerat. Iam Poloni Lituanique exercitus transgressi fines, Prussiam intrauerant: omnes, atque inprimis Principes Iagelo ac Vitoldus, eo animo; vt extremâ virium contentione tandem bello tam molesto finem imponerent: Crucigeris, aut ad obsequium quietè ferendum, aut ad amicitiam constanter colendam, vi compulsis. Crucigeri ab aduerso, vt pace inquieti, nimiumque sibi fidentes; ita bello, vbi impares se aduerterunt, non pacis studio, sed periculi metu, fœderum cupidi: ruentibus ad iustam vindictam copijs, auctoritatem obiecerunt Pontificij legati Bartholomæi Capræ Archiepiscopi Mediolanensis. Validum profectò scutum, præsertim contra Iagelonem, & Vitoldum, quibus Religionis Christianæ non pridem susceptæ, atque Pontificiæ dignitatis veneratio tenerior, nondum antiquitate occaluerat. Stitêre itaque arma: atque licet à Crucigeris nihil sincerè ageretur, operâ Archiepiscopi in biennales inducias iteratò consenserunt. Rex Daniæ, & Dux Pomeraniæ (qui cum auxilijs ad Crucigeros venerant) vbi iniquitatem in eo negotio aduerterunt; rei indignitate permoti, apertè causâ, & castris Crucigerorum desertis, ad Iagelonem ac Vitoldum transierunt, fœdera pepigerunt: promissis contra Crucigeros auxilijs, si quid contra recentes inducias innouare auderent. Confectis induciarum tabulis, Vitoldus Lituaniam petijt, Rex maiorem Poloniam; in

A legato Pontificis inducijs terminatur.

A.1418.

quo itinere cùm Posnaniâ Srodam tendit, non multùm à periculo vitæ abfuit. Repentè enim atræ nubes cælo obductæ incredibili tempestate detonuerunt: duobus regij currûs Satellitibus, quatuor è sexigâ equis, quinto sub armigero, fulmine ictis.

A.1419.

Scythiæ populi à Vitoldo Imperatores suos accipiunt.

Redux è Prussia Lituanus miles, modicâ quiete recreatus, ab Occidente in Orientem ductus est. Trans-Volgensi Scythiâ, post amissum morte Regulum Zeladinum scissâ in factiones: pars vnum, pars alterum ex defuncti Principis filijs, paterno imperio successorem designabat. Kieremferdenes reliquis fratribus potentior, quod consensu obtinere non poterat, vi occupauit. Tachtames eius frater, suis suorumque viribus diffisus, cùm æmulum neque tolerare, neque opprimere posset, ad Vitoldum cum præcipuis suæ causæ patronis confugit. Vitoldus hactenus eius populi constantem amicitiam sæpiùs expertus, fidelemque bellicis expeditionibus operam; non dubitabat è Republica fore, si ipsum populi Ducem nouo beneficio sibi obstringeret. Tachtamem ergo benignè ac munificè acceptum, spe auxiliorum confirmat, Vilnæ solemni pompâ, imposito gemmis lapillisque splendente pileo, Trans-Volgensium Scytharum Imperatorem (vulgò Tzarem) renunciat, atque inaugurat. Redibat in patriam Tachtames spe imperij plenus, vltra populares copias, auxilijs Vitoldianis succinctus. At, vt in ascensu præcipitis montis, qui semel planum verticis vestigio occupauit, faciliùs enitentem in altum reijcit, quàm ipse detrudatur:

A.1419. tur : ita Tachtami planè contigit. Kieremferdenes enim validiſſimo exercitu collecto, venienti occurrit, commiſſoque prælio copias eius profligauit, ipſumque fratrem occidit. A cæde Tachtamis, tertius frater Ieremferdenes, fortunam fraterno ſanguine cruentam non exhorruit: ſed ad Vitoldum ipſe quoque confugit. Plus in mortali animo poterat honoris cupido, quàm metus periculorum. Neque Vitoldus tanti æſtimauit cladem nuper acceptam, quanti dignitatem ſui nominis, quòd tam bellicoſis populis ſuo arbitratu Reges daret. Quare Ieremferdenem legitimum Principem ſolemniter renunciauit: ne autem ſolâ vani tituli pompâ illudere amico voluiſſe, quiſpiam diceret, omni ope in paternum imperium reſtituere decreuit. Mareſchalco Lituaniæ Nicolao Radiuilo committit curam, vt inſtituto properè per Lituaniam delectu, validas copias inſtruat, iiſque Ieremferdenem in Scythiam deducat. Executus impigrè mandata Radiuilus, in Scythiam mouit. In ipſis finibus, plurimi Scytharum, violentum Kieremferdenis dominatum peroſi, ad Ieremferdenis caſtra confluxerunt: vnde vires non modicè auctæ. Kieremferdenes tamen nihilo timidior, cui prioris victoriæ memoria animos faciebat, intrepidè ad Volgam cum exercitu ſeſe Fratri obiecit. Ieremferdenes popularibus ſuis primam prælij gloriam petentibus, non inuitus conceſſit. Pugnatum eſt, aliquamdiu fortunâ neutrò victoriam inclinante, vbi prælium vires, virique æquabant: verùm Radiuilus non paſſus diutiùs ſuos extra

tra prælij aleam ſtare, facto in latus hoſtium impetu, A.1419.
& pugnam & fortunam inæqualem reddidit. Citò prælium in fugam verſum eſt, cùm cæſo belli auctore, omnes campum deſeruerunt. Superſtites pugnæ, facilè Ieremferdeni acceſſerunt: vt enim præciſo capite reliquus truncus riget immotus; ita factionum auctoribus ſublatis, facilè ad quietem populus componitur. Omnium conſenſu Ieremferdenes imperio ſuæ gentis potitus, beneficium Vitoldi amplâ legatione muneribuſque veneratus eſt: atque quamdiu vixit fidum ſe expeditionum bellicarum ſocium exhibuit. Tauricani etiam Scythæ, quos *Crimæos, & Perecopenſes* vocamus, eius victoriæ famâ Vitoldo ac Lituaniæ, mirè ſunt conciliati. Ipſe Ediga Tauricanæ Cherſoneſſi Imperator, cladibus Lituanorum ac Ruſſorum celeberrimus, honorificâ legatione amicitiam Vitoldi expetijt: atque fidem ſuam, ad perpetuam pacem, & auxilia contra quoſuis hoſtes ſuppeditanda, ſolemni fœdere obſtrinxit.

Tantis incrementis Vitoldi nomen per Septentrionem, ac Orientem aſſurgens, viciniorem ſibi Bohemiam perſtrinxit, vt excuſſo legitimi Principis imperio, ſponte ad Vitoldi obſequium curreret. Controuerſia, inter Polonos ac Crucigeros, de certis ditionibus, per tot annos, armis atque diſceptationibus agitata, bellorum ſemen feraciſsimum, cùm aliter terminari non poſſet, æquo Sigiſmundi Cæſaris arbitrio permiſſa fuerat. Iagelo enim ac Vitoldus Polonæ cauſæ æquitati confiſi,

Bohemi regnum Iageloni ac Vitoldo offerunt.

A.1419. consisi, eam conditionem non repulerant. At vbi constitit nihil à Cæsare ex æquo actum, sed contra fas sententiam esse pronunciatam, iudicio eius renunciârunt, atque ad vindicanda armis sua iura, sese comparabant. A.1420. Bohemi post religionis dissidia nuper excitata, excussamque Ecclesiæ Romanæ venerationem, ad apertam contra suum Regem rebellionem prolapsi, externas vicinorum vires (vti superiùs etiam memoraui) circumspectabant; quibus se contra Cæsaris potentiam communirent. Cùm ergo Cæsari infensiores redditos Iagelonem ac Vitoldum non ignorarent, rati quamcunque vindictæ occasionem haud dubiè arrepturos, Regnum Bohemiæ eis obtulerunt: Iagelo nihil omnino legatos moratus disertè respondit. Dominijs, quæ è diuina manu absque vllius iniuria, accepta haberet, contentum; aliena omnino non ambire: neque posse sibi persuadere, vt inter eos regnet, qui Ecclesiæ imperijs subesse nollent. Non absimile responsum à Vitoldo retulerunt. Neque tamen spes destituit Bohemos: existimabant nullam esse tantam constantiam, quam regnandi cupido non labefactet. Instauratâ iterum legatione animos Iageloni ac Vitoldi arietare pergunt. Merecij fortè in Lituania Principes, animum, corpusque, ferarum venatione exercebant: ibi legatis copia, exponendorum palàm mandatorum, data est. Orabant illi, ne tantam augendæ Reipublicæ opportunitatem, quâ nulla aut maior esse, aut facilior, posset, elabi paterentur. Silesiam, aiebant, vel inuitis Bohemis repeti debuisse, vti antiquam

Reijciūtur ab vtroq;.

antiquam iuris Poloni Prouinciam; spontè redeuntem, A.1420. nequaquam repelli oportere. Bohemiam ac Morauiam eiusdem cum Polonia originis, nullo negotio in vnam Rempublicam coalituras. Ita verò ab eorum populorum accessione, vires Reipublicæ validas fore, vt Sigismundo Cæsari, quo nemo alius Polono nomini infensior esset, reprimendo, & Crucigeris perdomandis, abundè sint suffecturæ. Non aliena à vero, ac in speciem perquàm vtilia, dici videbantur: nihilominùs Rex nihil de sua constantia remisit. Vitoldus famæ regnandique auidior, inter acceptandi repellendique consilia, dubius sententiæ, aliquamdiu hæsit: atque ea de causa legatos apud se retinuit. Rebus verò penitiùs perpensis, ipse quoque disertè negauit, quæ à Bohemis postulabantur.

Sequentem annum, belli curis liberum, pacis negotijs Vitoldus impendit. Inprimis indicto ordinum Lituaniæ conuentu, ex eorum consensu tabulas publicas confici curauit: vt quæ nuper Pontificatum Miednicensem, & alia varia Sacerdotia excitando statuerat, plus apud posteros haberent venerationis, ac roboris, si in eo vniuersi Ordines consensissent. Deinde firmandæ domûs Regiæ curam orsus est. Post repetita semel iterumque connubia, ipse iam spe vlterioris prolis exciderat. Iageloni quoque nullus hæres erat. Hinc quæ vulgaris Principum ægritudo est, angi nimiùm Vitoldus, quòd id fastigij, ad quod domum suam euexerant, posteris non essent transmissuri. Iagelonis domus ex nupero

A.1421. Vitoldus Pontificatū Miednicensem confirmat.

Iageloni Sophiam neptē matrimonio iungit.

A.1421. pero Elizabethæ coniugis obitu, vacua, nouo matrimonio, spei aliquid reliquerat: præsertim quòd suscepta ex priore coniuge proles, argumento esset, non suo vitio, hærede Regem carere. Vrgere itaque Iagelonem cœpit Vitoldus, vt in eam spem deligeret sibi consortem. Facilè in sententiam Vitoldi permotus Iagelo, eodem ipso auctore, animum ad Sophiam, Andreæ Kiiouiensium Ducis filiam, Vitoldi ex sorore neptem, adiecit. Virgo erat formâ florente, firmâ valetudine, ætate nubili, Græcis religionibus Russo ritu addicta: atque ea sola, non leuis, causa metûs fuit, ne Poloni huic matrimonio aduersarentur. At, cùm Parente annuente, virgo ad Romana sacra transijsset, metu illo euanescente, Matthiâ Vilnensi Antistite, solemni ritu, vt eas nuptias Numen faustas, fortunatasque Reipublicæ iuberet, apprecante, magnis in publicum lætitiæ argumentis editis, connubialia festa sunt peracta.

Tertiò Bohemorum legati, cum veteribus postulatis, redierunt, noua spe erectiores. Quòd enim nuper Vitoldus tergiuersari magis, quàm apertè negare, visus esset, suspicionem haud mediocrem mouerat, fore vt apud eum saltem, tandem aliquid obtineant. Auditi in Senatu nihil publicè in rem suam impetrârunt: omnibus palàm nolentibus Rempublicam Bohemicis turbis implicari. Nihilominus secretò vocatis, quid vellet animo Vitoldus aperuit. Nolle se apertâ regni Bohemici acceptatione, Principum odia irritare, sibi non profutura, Bohemis verò etiam noxia. Sigismundum Cæsarem,

A.1422. *Sigismundũ Nepotem Regẽ Bohemiæ eligi procurat.*

sarem, suis in Poloniam iniurijs meritum esse, ne omnino abhorreat à Bohemorum defensione; sed eam aliter, quàm hactenus Bohemi censuissent, ratione, suscipi posse. Esse sibi Sigismundum nepotem, Ducis Demetrij Corybuthi filium, Virum bello exercitatissimum, fortunatumque, ac quantouis regno parem. Si eum Bohemi Regem renunciarent, se extra inuidiam, sub nepotis nomine res Bohemicas, milite ac pecunijs adiuturum. Facilè in ea consenserunt legati: cùm eo modo Iagelonem quoque posse pertrahi ad nepotem iuuandum arbitrarentur. Sigismundus celerrimis nuncijs à Vitoldo euocatus, atque de omnibus edoctus, quantâ maximâ potuit festinatione exercitum à Vitoldo acceptum, per manipulos diuidit, extra Poloniæ fines tacitè educit, in Bohemiam, spe Bohemorum citiùs, penetrat. A.1422.

atque contra Cæsarẽ exercitu instruit.

Res tam inopina pupugit non leuiter Cæsarem Sigismundum: quia verò & vindicando, & repellendo bello simul impar erat, Crucigeros concitare contendit, vt ruptis fœderibus Poloniæ fines infestis signis inuaderent. Sperabat enim fore, vt bello ab alia parte coorto miles ex Bohemia reuocaretur. Diu hæc agitabantur operâ occultorum internunciorum, per Maiorem Poloniam, mendicorum habitu securè commeantium, donec fortuitus euentus fraudes prodidit. Tabellariorum vnus, Conini repentino oppressus morbo decesserat: cùm demortui corpus ad funus paratur, inter vestes literæ Cæsareis ceris signatæ deprehendun-

Cæsar Crucigeros concitat contra Polonos, ac Lituanos.

 tur.

A. 1422. tur. Ortâ ſuſpicione, ne fortè aliquid in eis lateret, quod publicam rem concerneret, magiſtratus clauſas ad Regem deferri curauit. Apertæ, Cæſaris machinationes aperuerunt. Suadebat ille Crucigeris confinia ſubitis incurſionibus infeſtare: ſicubi miles opponeretur, pacis oſtentatione prælium declinare: moleſto magis bello, quàm periculoſo, aſſiduò diuexare: tanquam inuiti arma ſumpſiſſent, concordiæ deſiderium præferre, negotij ſummâ ad Cæſaris vel Papæ arbitrium reiectâ: ſpe pacis, cohortes Polonas incautiùs agentes opprimere: omnia, quæ hoſtes ſolent, agere; pacem tamen verbis, vnicè commendare. Detectis hiſcè fraudibus, palàm bellum omni ope gerendum, contra Pruſſiam indicitur. Magnâ celeritate delectus perfecti: cohortes in vnum coactæ: exercitus validus in Pruſſiam ductus. Deſtinauerant Crucigeri, triginta millibus inſtructi, fortunam aperto prælio concredere. Verùm auctore Conrado Nemcio Sileſco, conſilium mutârunt: diffiſi campo, per caſtella atque arces, exercitum diuiſerunt. Hoſte nullibi pugnæ copiam faciente, Iagelo & Vitoldus equitatum omnem ad agrorum populationem expediuerunt. Effuſus latiſſimè incredibilem vaſtitatem edidit, longè maiorem patraturus, niſi legati Cæſarei aduentus, impetum retardâſſet. Epiſcopus is Corbauienſis fuit, & policitatione æquiorum in rem Polonam conditionum Iagelonem ad agendum de pace flexit. Rogabat Cæſaris nomine, vt Corybuthum è Bohemia euocaret, atque bello in Crucigeros abſtineret: quòd

Bellum in Pruſſiam indicitur, à Iagelone & Vitoldo.

Pruſſia latiſſimè vaſtatur Crucigeris per arces hæretibus.

quòd Cæſar paratus eſſet omnino, ſi coram illo de iniurijs per Crucigeros illatis diſceptaretur, ſatisfacere. Quod ſi fortè Cæſaris æquitatem Rex in dubium vocaret, libenter Cæſarem ſuo iure ceſſurum permiſſurumque (modò Regi id probaretur) vt viri Principes ex Bohemia ac Polonia delecti, negotio diſcuſſo, liti finem imponant. Ad hæc Iagelo. Cæſaris ſiue æquitatem, ſiue amicitiam, ſatis ſibi eſſe probatam nupero argumento, cùm electus arbiter Litis, contra fas pro Crucigeris pronunciauit. Quamquam verò, eâ ipſius ſententiâ, nihil aut iniquius, aut magis hoſtile eſſe queat, à ſe tamen pacis ſtudio nihil contra armis tentatum fuiſſe, priuſquam ipſi Crucigeri ſuis excurſionibus, eam irritam feciſſent. Belli Pruſſici ipſum Cæſarem auctorem eſſe, qui occultis literis claſſicum Crucigeris ceciniſſet. Corybuthum nepotem ſuum, militaribus auſis à puero innutritum, non regiâ auctoritate: ſed proprio arbitrio Bohemis auxilia ſuppeditâſſe, atque adeò vti ſe inſcio petijſſet Bohemiam, ita non exceſſurum, niſi cùm ei liberet. Moderatiùs iſta Rex. At Vitoldus ab indignatione concitatior. Meo, inquit, iuſſu Corybuthus Bohemiam inuaſit, vt de Cæſare vindictam ſumeret. Manſurum iſthîc eum ſpondeo, donec Cæſar ſentiat, quanto rerum ſuarum damno, amicitiæ ſpecie hactenus ſit abuſus, vt incautos Polonorum Lituanorumq; animos circumueniret. Expedito legato, vaſtatio agrorum rurſus eſt reſumpta: atque ab ea non procul Torunio conuenire legiones iuſſæ. Hoſtis quoque in propinquo intereà

A. 1422.

Cæſar per legatũ bellum ſiſtere conatur.

Vaſtatio Pruſſiæ reſumitur.

A.1422. tereà castra præmunierat, in occasionem rei gerendæ intentus. Quare sedecim Polonorum, atque alijs sedecim Lituanorum signis negotium datur, vt hostem in loco tamdiu distineant, donec exercitus vniuersus superueniret. At iam Crucigeri priusquam in conspectum hæc signa venissent, deserto vallo, in tutiora se maturè receperant. Vastatis igitur Toruniensibus agris Culmam castra promouentur, vt alicubi hostem, aut occupare, aut elicere, ad pugnam possent. Tandem Crucigeri cùm neque confligere auderent, neque agrorum vastitatem, aut arcere, aut ferre possent, ad petendam pacem compulsi sunt, quàm Rex modò æqua esset, non aspernabatur. Concessis breuibus inducijs, ad V. Kal. Octobris, dies agendi de fœderibus dictus: locus, castra Polonorum. Post aliquam cum Euerhardo Magistro disceptationem, ægrè partes conuenerunt in has leges. Crucigeri ius omne in Sudouiam ac Samogitiam iureiurando adiecto antiquarent; Rex quidquid eo bello de Prussia, ademisset, restitueret: si quis prior fœdera hæc violare attentaret, subditi eius ab obsequio liberi manerent. Verùm ea tamdiu integra fuerunt, quamdiu impendentis exercitûs metus, quietem inuitis extorquebat. Postеaquam victor exercitus è finibus Prussiæ eductus, conspici desijt; omnia proculcata: negante Cæsare Crucigeros ijs obligari, quæ ipso aut inscio, aut inuito, statuissent. Cogitur itaque Rex iterum bellum contra Crucigeros in sequentem annum edicere. Territus eo nuncio Cæsar, permisit Magistro, vt non expectatis

Crucigeri ad petendã pacem coguntur.

Pacis conditiones

quas Cæsar rescindit.

A.1423. Rursus pax cum

expectatis legatis Cæsareis, de pace cum Iagelone, ac Vitoldo transigeret. Nihil ferè ijs pactis, ad Mielnicense fœdus, adiectum est: nisi quòd supplicantibus pro Cæsare Crucigeris, spoponderit Iagelo, curaturum se, vt Corybutus cum suis, ex Bohemia abiret. A.1423.

Crucigeris stabilitur.

Iam ille hoste aliquot locis profligato, Cæsareis totâ Bohemiâ depulsis, vniuersum prope regnum suæ potestatis fecerat: neque solùm Rei bellicæ peritiâ, ac successu; sed etiam vario officiorum genere, præcipuis capitibus deuinctis, regij tituli spem abundè stabiliuerat. Non tamen ausus est, Iageloni ac Vitoldo reuocantibus, non obtemperare; neque eorum amicitiæ tam blandè arridentem fortunam anteponere: præsertim quòd eam ipsam, quantaquanta esset, illis solis totam deberet. Adiecit suasioni monumentum regia pollicitatio, quâ ei Dobrynia promittebatur, si Bohemiam desereret. At, vt est facilis ad iram ambitio, cùm Rex promissa differt, inde indignatione in Regem vrgente, inde degustatæ potentiæ memoriâ titillante, dolere quòd fortunam ipse suam destituisset: reditum in Bohemiam apparare. Sensit id Vitoldus, atque siue suâ sponte, siue, quod vero propiùs, Pontificiæ auctoritatis veneratione, sedulò laborauit, vt Corybutum in Lituania detineret. Acceperat enim à Martino V. Papa grauissimam Epistolam, quâ monebatur ne Princeps Catholicus, sectam Hussitarum propagare pergeret, rebellionem Bohemorum per Corybutum propugnando. Retento in officio Corybuto, proniores se præstitêre Crucigeri, in

A.1424. Sigismundus Corybutus ex Bohemia reuocatur.

A Vitoldo in Lituania detinetur.

A.1424. in ijs exequendis, quæ nuperis pactis ſpoponderant. Nam & Sudouia, & Samogitia integrè ſunt reſtitutæ, & certi limites ditionibus, incredibili conſenſu, præſente Vitoldo, deſignati.

Regina Sophia coronatur Poſt tot bellicas agitationes, redditâ publicâ quiete, ſolemnis Reginæ Sophiæ inauguratio ad XII. Februarij indicta eſt: celebrataque ſingulari apparatu & lætitiâ. In apparatum liberiùs ſe Rex effudit, quòd ex ſpe propinqui partûs non Reginam tantùm, ſed & Matrem Regum coronari crederet. Populo verò auxit hilaritatem, pacis diu expectatæ ſenſus: dilatâ enim ob bellicos tumultus, præter morem diutiùs inaugurationis pompâ, ac tandem his diebus peractâ, pro augurio in vulgus fuit, bellis tranquillitatem ſuccedere. Adfuêre ei feſto multi Principes: Vitoldus declinauit. Etſi verò per legatum alias prætexet cauſas, populo tamen non difficile fuit ſubodorari eius animum in Reginam offenſum, hâc de causâ. *Vitoldus Reginæ offenditur.* Heduigis, Iagelonis ex primo matrimonio filia, ſolemnibus cærimonijs deſponſa fuerat Friderico iuniori, Brandeburgico Marchioni. Mutato deinde conſilio, nuptui dabatur Boleſlao, Duci Stolpenſium: pro quo, præter alios Principes, tres Reges inſtabant apud Iagelonem. Obſtabat ei leuitati, vti eam ipſe vocabat, vehementer Vitoldus, tum ex ſua ſententiâ, tum maximè à Martino Papa, gente Columnâ, Friderici fautore, permotus. Vbi verò ſuam omnem operam abijſſe in irritum, ſenſit: indignationem in nouercam vertit, cuius conſilijs Iagelonem circumagi exiſti-

exiſtimabat. Tegebat illam animi ægritudinem operoſè: ſed quid centoculum Argum, ſuſpicioſiſſimum genus, populum, lateat? neque errâſſe, eum maioribus deinde indicijs conſtitit, quibus interior animi perturbatio in apertum erupit. A.1424.

Venerunt in Poloniam intereà Bohemorum legati, & Sigiſmundum Corybutum magno ſtudio ad regnum repetebant. *Corybutus in Bohemiã redit,* Rex conſtanter iſtiuſmodi conſilijs ſe oppoſuit. A Rege palam repulſi, Corybutum ipſum clàm legati adoriuntur, neque difficilem expugnando repererunt. Veteris fortunæ magis auidus, quàm pertæſus, in omnia conſenſit. Dimiſſis legatis militem occultiſſimè conſcribit. Dabant alacres nomina, & ſpe copioſi ſtipendij Bohemici, & ſucceſſuum Corybuti memoriâ illecti, veterani æquè, ac tyrones. Conſcriptas, quæ ſufficerent copias, non per manipulos aut ſigna, ſed viritim propè ſingulos, ne Regi conſilium innoteſceret, ad condictum diem, locumque conuenire iubet. Tanto ſecreto res acta eſt, vt priùs in Polonia nunciaretur, Corybutum milite Polono ac Lituano Bohemiam inuaſiſſe, quàm Rex, aut quiuis alius, eum abeſſe ſenſiſſet. Cæſar veritus, ne Regiâ aut auctoritate, aut conniuentiâ, hæc agerentur, graui legatione de violatis fœderibus queſtus eſt: *In Polonia à Rege proſcribitur* cui Iagelo, vt erat reuerà ab omni noxa liber, non verbis tantùm, ſed & rebus ipſis, fidei ſuæ integritatem abundè comprobauit, latâ in Corybutum ſententiâ, quâ omnibus per Poloniam, Lituaniam, Ruſſiam poſſeſſionibus exutus, tanquam pacis

A. 1424. cis publicæ violatæ, Maieſtatiſque regiæ læſæ reus proſcriptus eſt.

Idem annus Iagelonem diuturni voti compotem fecit, nato filio, quem de ſuo nomine Ladiſlaum appellari voluit. Luſtratio pueri Chriſtiano inſtituto per ſacrum fontem, in ſequentis anni XXIII. Kal. Mart. reiecta eſt, in qua Rex ſingulari munificentiâ ludos, conuiuia, cæteraque eius temporis, exhibuit. Vitoldus cui nondum à nupera ægritudine animus conualuerat, odio Reginæ, ei feſto non interfuit: lectulum tamen argenteum infanti, centum pondo æſtimatum, dono per legatum miſit. Subſecuta æſtas ita latè per vrbes, ac pagos peſtem vulgauit, vt ad vitandam contagionem, ipſi Regi Vitoldoque, cum vniuerſa curia, inter Lituaniæ nemora, lues vitanda fuerit. Vbi aliquantum remiſit malum, ordinum Poloniæ conuentus Breſtiam in Cuiauia indictus eſt. Multis laborandum fuit Regi in ijs comitijs, priuſquàm euicit, vt Ladiſlaus Princeps paterni regni ſucceſſor, publico edicto renunciaretur. Tabulæ nihilominus, quibus Polonorum ea de re ſponſio continebatur, non Regi ſunt redditæ, ſed Sbignei Oleſnicki Cracouienſis Antiſtitis fidei commiſſæ, eâ lege, ne priùs eas Regi redderet, quàm conſtaret eum omnia, in rem Polorum promiſſa, ex fide promiſſa.

A. 1425. Ladiſlaus Princeps naſcitur

Succeſſor regni paterni renũciatur.

A. 1426. Rege rebus Polonicis occupato, per Autumnum & initium hyemis Vitoldus bellum in Lituania apparabat: quâ parte erupturum, nemo ferè diuinare poterat. Cauſam belli nemo ſcriptorum indicauit: fortaſsè non

Vitoldus Pleſcouiã inuadere parat.

non quod tam alto ſecreto Principis obruta; quàm quòd nulla, fuerit. Recedente hyeme aliqua indicia emanauêre, in Septentrionalem Ruſſiam impetum dirigi. Monetur itaque maturè ab amicis Pleſcouia. Accurrunt Pleſcouienſes periculum auerſuri: donis, ſupplicique habitu, animum Principis portentant: nihil pacati expiſcantur. Bellum itaque aduerſus patriam parari non dubij, properè ad ſuos redeunt. Sequitur cum exercitu Vitoldus. Deſperatis Pleſcouiæ rebus, cælum pro innocentiâ ſtetit. Incredibiles enim tempeſtates coortæ, tantam vim imbrium effuderunt, vt inuia prorſus, per loca ſemper paludoſa, reddita fuerint Pleſcouiam itinera. Ceſſit cælo Vitoldi indignatio, neque tamen quieuit, ante acceptam mulctæ nomine, ingentem pecuniam: pacem à Superis donatam, coacti ſunt Pleſcouienſes, apud Vitoldum nummis redimere. A. 1426.

Pecuniâ ingenti mulctat.

Ceſſantibus externorum motuum curis, recrudueront veteres in animo Vitoldi morbi, atque ab ipſo otio vires ſumebant. Reginam à qua alieniorem ſe hactenus præbuerat, apertè odiſſe; ſermonibuſque, ac literis apud Regem, perſequi: mœrere, quòd Ladiſlao ſucceſſore Patri deſignato, ſpes regni ſint amiſſæ: de Lituaniæ Principatu retinendo angi: de regia domo vereri, ne aliquando ſe ſuoſque, Lituaniâ excludat: Iageloni ipſi minùs quàm ante fidere: ſuſpicionibus, quarum ambitio feraciſſima, noctibus diebuſque agitari. Primi omnium Crucigeri ægritudinem Vitoldi ſubodorati, ita eam promouere conati ſunt, vt apertas cum Rege inimici-

Suſpicionibus agitari incipit. A. 1427.

tias

A.1427. tias consciscerent. Multâ adulatione, atque amicitiæ exquisitis argumentis, promissisque impulerunt Vitoldum, vt eorum causam apud Regem susciperet, atque molendinum Lubicz cum suo latifundio, detractum Poloniæ, Crucigerorum agris adijci, impetraret. Non dubitabant illi, nihil prorsus eâ intercessione Vitoldum profecturum: destinato tamen consilio, ea postulari voluerunt, quæ à Iagelone negari oportebat: vt quò constantiùs Iagelo postulata, repelleret; eò altiùs Vitoldus sentiret, infensioresque spiritus conciperet. Reiecta est semel, iterumque Vitoldi petitio. Poloni quoque Proceres, celebratis Vartæ comitijs, Paulum de Ruzdorff Magistrum Ordinis grauiter commonuerunt officij, ne Crucigeri malis artibus, & Vitoldi erga Regem regnumque fidem infringere, & icta nuper fœdera sensim labefactare pergerent. Mox alijs Lancitiæ conuocatis comitijs, per Sbigneum Cracouiensem Pontificem, Reipublicæ totius nomine, Vitoldo præsenti, supplicârunt, vt ab ea actione desisteret, quæ Regiam ac Reipublicæ dignitatem conuelleret. Sincerâ Sbignei oratione offensus Vitoldus grauiter excanduerat: sed dissimulandi artifex, surgentes motus tantisper pressit, compositoque ad tranquillitatem sermone, omnia Polonis pollicitus est, nihil præstiturus. A Polonis & Rege alienior redditus, primò in Reginam furorem effudit, quo Regem, regnumque inuoluit. Tertiò iam vterum Regina ferebat: ex tam frequente prole, suspicionibus domestici probri, violatique thori, innocentem palàm exagi-

Crucigeris promouẽtibus ægritudinẽ animi.

Regi ac Polonis offenditur.

exagitare apud Iagelonem cœpit. Maleuolorum sermonibus res ad plures vulgata, non mediocriter Regem ac Proceres conturbauit. Licet enim apud æquos rei iudices, fides ac integritas Reginæ extra omnem suspicionem esset: verendum tamen omnibus fuit, ne si fortè falsi rumoris fama, innocentiæ præiudicaret; aut Iagelonia proles successione excideret; aut regium fastigium tanti probri turpitudine fœdaretur. Comitia ergo Hrodlum ad Bugum, Polonis ac Lituanis indicta sunt, vt in ijs Regina causam diceret, atque ex totius Reipublicæ sententiâ, damnaretur, aut absolueretur: vbi innocentiâ eius luculentissimè probatâ, auctores falsi, equites Poloni, pœnas luerunt legibus latas. A.1427.

Reginam innocentẽ falsis criminibus exagitat.

Quieuerant rursùs aliquantùm domesticæ perturbationes, Vitoldo ad bellum auerso. Nouogardiæ Magnæ incolæ, circa ditionis suæ limites à Vitoldo designatos, cœperant aliquid innouare. Ad eos perdomandos, exercitum è Lituanis, & Polonis stipendio auctoritatis, Vitoldus duxit. Nouogardiani inaccessibilium propè per æstatem itinerum munitione freti, contempserunt initio Vitoldi minas, atque ferociùs agebant. At vbi rumor allatus est, superatis obstaculis, Vitoldum arcem Opocznam obsidione cinxisse, facilè animis conciderunt. Missi properè legati, qui vrbem victoris potestati permitterent: amplisque muneribus oblatis, annuæ pensionis summam augerent: modò pax impetrari posset. Vitoldus, etsi diripiendæ vrbis opulentæ spe, maximè eò progressus fuerat: non inuitus tamen A.1428.

Nouogardiam rebellantem domat.

Q 2 pacem

A. 1428. Cõuentus Luceoriam indicitur, eiusq; causæ. pacem poscentibus dedit. Verebatur enim, ne diuturniore bello detentus, Luceoriam tardaret, ad condictum cum Rege, & Sigismundo Cæsare, cæterisque Principibus, diem: cuius celeberrimi conuentus, hæc in vetustis annalibus memoratur causa. Sigismundus Romanorum Imperator, iam ante Iageloni perquàm infensus, negatis nuper in Turcicum bellum auxilijs Polonicis, longè infensior, cùm armis odia non posset prosequi, dolis Iagelonem, aut rem Polonam, euertere conatus est. Cæsar Iageloni infensus variè eum oppugnat. Publicis primùm literis, per Imperij Romani prouincias, ac vicina regna, ausus est queri, proditum se cum Christiano exercitu Turcis à Iagelone, quòd auxilia promissa subtraxisset. Neque defuerunt fortè, apud quos calumnia, nomen, nec falsæ, nec iniustæ, querelæ reperit. Neque enim omnes nouerant, quòd Iagelo Cæsareis legatis belli Turcici societatem suadentibus, nihil omnino aut promiserit, aut promittere potuerit: negantibus id Ordinibus, ne fortè semel eo bello implicatis Polonis, tota tandem eius moles ferenda, solis incumberet. At vt fortè non omnes hæc nouerant, non tamen ita occulta erant, vt Cæsaris querelæ fidem publicam obtinerent. Quare in aliam partem versatis consilijs, Cæsar maluit reconciliari Iageloni, & amicitiæ officijs eum impugnare. Non ignorabat propè omnia apud Iagelonem Vitoldi auctoritate agi, neque mediocriter regni Poloniæ potentiam auctam esse, accessione Lituaniæ. Cũ Vitoldo cõmittere conãtur. Ita ergo Vitoldum in suam amicitiam pertrahere destinauit, vt eo ab Iagelone auulso, vniuersa

vniuersa Polonæ ac Lituanæ concordiæ machina solueretur. A. 1428. Ipse sibi conficiendæ eius rei Prouinciam vsurpauit: ratus tanta negotia neque commodè, neque tutò, tabellarijs aut epistolis, concredi. Itaque contentionum, quæ Polonos inter ac Crucigeros, propè totius Europæ armis, tamdiu exercebantur, pertæsum se simulat: operam suam stabiliendæ in perpetuum optimis conditionibus paci, Ladislao Iageloni Regi, & Vitoldo offert: Ad congressum inuitat. adijcit vnicam sibi causam videri, ob quam tot labores suscepti, irriti fuissent, quòd nonnisi per legatos hactenus negotium actum esset: optare itaque se, vt Principes potiùs ipsi secum amicè congrederentur: quod si ob veteres simultates Iageloni ac Vitoldo nullus in Imperio ad congressum locus probaretur, paratum se publicæ tranquillitatis causâ, eò venire, quo ipsi conuentum indicerent. Iusta, videbatur, Cæsarem postulare: nihil itaque ausus est negare Iagelo. Vitoldus verò in ea, quam animo fouebat à rebus Polonis, ac domo regiâ, auersione, lubens occasionem arripuit, Conuẽtui dies & locus designatur quâ Cæsaris amicitiam sibi pernecessariam, non immemor eius pollicitationum, commodiùs firmare posset. Auctor insuper Regi fuit vt ad 8. Id. Ianuarij conuentus Luceoriam, qui erat eius ditionis locus & Volyniæ Metropolis, indiceretur.

Celebratus est conuentus Principum, his partibus frequentiâ inusitatâ; magnificentiâ Vitoldi planè memorandâ, solidis quinquaginta diebus. Conuẽtus Principum Luceoriæ. Præter Regem Poloniæ, Duces Mazouiæ, Principes Lituaniæ, & Rus-

 siæ,

A.1428. ſiæ, Senatores Regni, cæteroſque vtriuſque nationis magnates, interfuerunt, Sigiſmundus Cæſar cum coniuge, ac pleriſque Imperij Principibus; Ericus Rex Daniæ & Sueciæ; Ioannes Palæologi Orientalis Imperatoris legati, Baſilius Moſchouiæ, Boryſſus Tweriæ, Olha Rezaniæ Magni Duces; Scytharum Tauricanus & Trans-Volgenſis Reguli; Magiſtri Equitum Theutonicorum, Ruzdorffius Pruſſiæ, Sigfridus Liuoniæ. Vniuerſis alimenta, Vitoldi impenſis miniſtrabantur, copiâ incredibili. Vt cætera ſileantur, quæ ab eius ætatis hominibus curioſiùs leguntur connotata, in ſingulos dies boues ſeptingenti, verueces mille quadringenti, feræ ſylueſtres varij generis, in ſingulas ſpecies centum; potûs è melle cocti ſeptingenta vaſa, præter vinum varium, expendebantur. Plena faſtus in publicum pompa, non falſo argumento fuit Cæſari, quantùm ambitionis Vitoldi pectore occuleretur: vtique mox in flammam erupturæ, modò ei velut ſcintillam inijceret, ſpem dignitatis, quam Poloni cum Rege omni ope eſſent propulſaturi. Alia igitur Cæſar publicè cum Iagelone, alia clam Vitoldo In conſeſſu Principum ſermo illi omnis de ineundâ concordiâ, vt viribus vnitis primùm in

A.1429. Bohemia Huſſitæ domarentur, tum omnium ſimul arma contra Turcam verterentur, ac Saracenos, pro Oriente vindicando. Magnifica hæc erant, & à pleriſque magno plauſu accipiebantur: ſed quæ inchoari faciliùs, quàm perfici poterant. Iagelo collatis cum Senatu ac Vitoldo conſilijs reſpondit. Si vniuerſi Principes Chriſtiani

Iagelo negat.

ſtiani conſpirent in bellum, non tantùm animosè Turcis, inferendum; ſed etiam omni ope, conſtanter, terrâ marique perurgendum: ſe ab ea belli ſocietate non abhorrere. At ſolius Cæſaris pollicitationibus, cuius vires bis Turca in Hungaria fregiſſet, permoueri non poſſe, ad violanda fœdera, quæ non ita pronum eſſet pro libito reficere, vt conuellere. Satis ſe videre, quàm lubricum ſit ab his conſilijs præcipitium, per quod Turca ſemel irritatus vniuerſam belli molem, in Polonos deuolueret, reliquis fœderis, non belli, ſocijs, alienum periculum, extra eius ictum, ſpectantibus. Cæſar in publico, ſubtriſtiorem ſimulat vultum ex repulſæ impatientiâ: tum ſpecie eiuſdem negotij vberiùs pertractandi Vitoldum, abſque arbitris conuenit. Cùm priùs multis, Vitoldi Lituaniæque laudes exageraſſet, eaſque percupidâ aure accipi aduertiſſet, in ſubactam adulatione mentem, potens telum intorſit. Dolere ſe, aiebat, vehementer, quòd tantus rebus geſtis, ac dominiorum amplitudine, Princeps, atque adeò re ipſa Rex, titulis ac inſignibus regijs careret. Nihil illi ad Maieſtatem Regiã deeſſe, præter nomen: quo ſolo, minor cæteris Regibus eſſet, quos potentiâ ac opibus regijs lõgè ſuperaret. Cur verò eam cogitationem ſuæ dignitatis augendæ, non admittat in animum, prorſus ſe non capere. Vt vt tandem ille ſui incurius eſſet, ſe Cæſarem Chriſtianum, pro muneris ſui debito non permiſſurum vlteriùs, quin breui eum cum cæteris, inſignibus regijs exæquet, modò conſtantem ſecum amicitiam, inire, atque deinceps colere

A.1429.

Cæſar Vitoldũ ſibi conſiliat ſpe regni Lituaniæ.

A.1429. colere vellet. Vetus Principum malum ambitio, Vitoldo, homini, neque incauto, neque Sigismundi artium inexperto, caliginem offudit: vt non aduerteret, nequaquam ad se ornandum ea consilia dirigi, sed ad auellendos à Polonis Lituanos. Quare facilè in eius sententiam atque amicitiam concessit, illud vnicum professus: Rege aut inscio, aut inuito, nihil se attentaturum. Sigismundus iam magnâ parte victor, ad Regem expugnandum machinas instruit. Iagelonem cum Imperatrice inuisit. Post mutua officia, atque incidentia colloquia, rem aggreditur. Iagelonem, Vitoldum, totamque maiorum seriem, rebus bello gestis mirè commendat: amicitiam suam erga domum regiam, & Lituaniam, prolixè explicat: postulat, vt si quam pro suo affectu rationem ornandæ Lituaniæ reperisset, eam ne ille repelleret: memorat regios in Lituania titulos non insuetos esse, cùm adhuc sub Mendogo Principe, vix eis esset par; nunc in eam amplitudinem operâ Vitoldi excreuisse, vt sine iniuria titulo amplissimi regni carere nequeat: spondet, breui se perfecturum, vt Vitoldus Rex Lituaniæ inauguraretur, modò eam fortunam Iagelo fratri, patriæque, nollet inuidere. Iagelo quamquàm alieno fortè ab his consilio animo esset; quia tamen instantem permolestè vna cum coniuge, rationibus ac precibus, aliter eludere non poterat, rem integram ad Senatum se relaturum respondit: si Senatus vota Vitoldi, suffragijs suis comprobaret, abs se nihil obstaculi fore. Idem responsum tulit Vitoldus, cùm

A Iagelone consensum extorquere nititur.

Iagelo ad Senatum reijcit.

condicto

condicto iam inaugurationis suæ apud Cæsarem tempore, eodem præsente, consensum Regis extorquere conatus esset. Conuocato Senatu ipse Vitoldus merita sua in Rempublicam, subditorum vota, exterorum existimationem, ac quidquid in rem suam fore rebatur, disertâ oratione explicuit: ac demùm petijt, ne cùm sententiæ dicerentur, ipse Senatu excedere cogeretur. Sciebat enim raram esse in dicendo libertatem, quam metus præsentis non frenet; raramque constantiam, quam conspectus offendendi non labefactet. Et quidem Principis Senatûs, Gnesnensis Archiepiscopi oratio, vti multùm de eloquentia habuit, ita nihil de libertate: veritus offensam Vitoldi, post multa copiosè dicta, ad punctum tacuit. At Cracouiensis, Sbigneus Olesnicki, inconcussâ animi orisque constantiâ quàm suspecta Cæsaris esset amicitia, docuit; quæ eo consilio pericula tegerentur, aperuit; Vitoldum, vt annorum & veræ gloriæ satur, vanæ dignitatis speciem contemneret, iurisque iurandi quo se Regi ac regno Poloniæ obstrinxerat memor esset, grauiter monuit. In eandem sententiam dixit Ioannes Comes à Tarnow Palatinus Cracouiensis. Episcopum & Palatinum, reliqui vno ore sunt secuti. Vitoldus non tam repulsæ, quàm tantæ in dicendo libertatis impatiens, è medio Senatu se proripuit, ac in abitu minitabundo similis, disertè subiecit: se vel inuitis Polonis destinata perfecturum. Digresso Vitoldo, Senatus cum Rege grauissimè expostulauit, quòd tam periculosas Cæsaris machinationes aleret

A.1429.

Vitoldus suam in Senatu causã promouet.

A Senatu commonefactus,

cum indignatione abit.

conni-

A.1429. conniuendo: quem ſuæ domûs, neque minùs Lituaniæ, quàm Poloniæ, hoſtem eſſe, tot ante argumentis comprobatum haberet. Rex itaque de conſilio procerum, ſtatim, inſalutato Cæſare, Luceoriâ abitum maturauit: in Poloniam delatus comitia Corcinum indixit, vt Ordinum regni ſententiâ decerneretur, quâ ratione immodicæ Vitoldi cupiditati, obuiàm eundum eſſet: Cæſar quoque, breuiter per abſentiam Regis, conſtitutis cum Vitoldo, quæ ad negotium pertinerent, morari diutiùs non auſus, rectà è Volynia Hungariam petijt. Abeuntem Vitoldus munificis donis coluit: quibus adiecit, celebre illud Vri, à Gedimino Vilnæ conditore occiſi, cornu, auro & gemmis affabrè incluſum.

Conuentus Luceorienſis ſoluitur

Vitoldi & Polonorũ mutuæ legationes.

Diuturnæ deinde ſubſecutæ ſunt concertationes, quas mutuò miſſis legationibus, Vitoldus ac Poloni exercuerunt: cùm ille à Polonis conſenſum extorquere nititur; hi Vitoldum à ſententia dimouere. Primi à Vitoldo legati Gaſtoldus Palatinus Vilnenſis, & Rombowdus Mareſchalcus Lituaniæ, ad comitia Corcinenſia venerunt. In conſeſſum Ordinum admiſſi, breui ſed apertâ oratione mandata expoſuerunt Principis. Vitoldum liberi populi, liberum Principem, non ſui causâ facere, quòd tam ſtudioſè poſtularet, vt Rex regnique Ordines, in ſuam inaugurationem conſentiant. Quicumque tandem alijs animus futurus eſſet, illi fixam ſtare ſententiam, exequi conſtituta. Rogare tamen, ne Poloni tum Regiæ, tum propriæ dignitatis curam negligerent, quam haud leuiter imminui opus eſſet, ſi inuitis

Vitoldi legatio

uitis illis Vitoldus deſtinata perficeret. Rogati ſententiam Ordines, in eam plerique concurrerunt, vt nihil publicè legatis reſponderetur, reiecto integro negotio ad legatos ſuos, quos viciſſim in Lituaniam miſſuri eſſent. Magno deinde ſtudio è toto Senatu lecti viri, conſtantiâ animi, dicendique libertate celebres, Sbigneus Oleſnicki Antiſtes Cracouienſis, & Nicolaus Michalowski Palatinus Sendomiriæ. Commiſſum, vt Reipublicæ nomine, monito diſertè Vitoldo, ne intempeſtiuâ ambitione, ſacroſancta vnionis fœdera conuelleret; bellum, ſi ſecus faceret, denunciarent. Sperabant nimirum fore, vt quam cupiditatem æqui iuſtique reſpectus non mitigaret, armorum metus perdomaret. Verùm aliter euentus tulit. Legati quidem pro maieſtate Reipublicæ commiſſo ſibi munere ſunt defuncti: Vitoldus verò ad minas nihilo mobilior, quin ex indignatione audacior, Cæſarem vt maturet opus, vrgere; res ſuas nouis Crucigerorum fœderibus firmare; Polonorum procerum animos largitionibus clandeſtinis venari. His in Polonia nunciatis, rurſus comitia ad VI. Id. Sept. Sendomiriam indicuntur: alia legatio ad Vitoldum decernitur, deſignatis legatis quorum integritati maximè fidebatur, Sbigneo Oleſnicki, & Ioanne à Tarnow. Summa legationis erat, qualem optabant ij Senatores, qui Rempublicam ſaluam optabant, Vitoldo ab eo non alienato. Quamquam enim illos humanitate ac beneficijs Vitoldi obſtrictos, molliùs dixiſſe ſententias cenſeretur: nemo tamen in ijs fidem deſiderare

A.1429.

Polonorũ legatio

Poloni Vitoldo ſuũ regnum offerunt.

A.1429. re auſus eſt, cùm clarè conſtaret, Vitoldo extremè irritato, Poloniæ pericula cumulari. Iagelo quoque cùm inde ſe annis grauem, Reipublicæ adminiſtrandæ onere vltra vires premi ſentiret; inde impuberem prolem, nondum gerendis rebus parem, haberet: non adeò verebatur Vitoldi ſucceſſionem, quam nulla hæredis ſpes, fulciret. Itaque cum ex Regis, Ordinumq́ue ſententia, Vitoldi cupiditatem, oblato Poloniæ regno, alio auertere conſtitutum eſſet, ita Principem legationis locutum reperio. Quandoquidem Vitoldo id propoſitum eſſe Poloni ſcirent, nihil contentionis remittere, in occupando regali faſtigio; Rempublicam Polonam communi Ordinum conſenſu, diadema illi offerre, quod nullo publico damno, magno verò ſuæ dignitatis augmento, acceptare poſſet. Meritiſſimo capiti nequaquam Polonos hactenus coronam inuidiſſe: ſed ſuſpectam habuiſſe illam, quam vetus hoſtis obtrudebat. Timuiſſe nimirum, Danaos etiam dona ferentes. Sumeret itaque fortunatus diadema Regum Poloniæ triumphis contextum, quo frontem regiam, & merita ſua coronando, duorum potentiſſimorum populorum concordiam arctiùs adſtringeret. Contemneret verò nouis Cæſaris machinationibus elaboratum, quo Sacroſancta Poloniæ, ac Lituaniæ fœdera reſcinderentur. Geminatis enim regijs titulis, regnum quoque neceſſe eſſe ita geminari, vt ſimul, vires hactenus vnitæ, ipsâ diuiſione conciderent: quod vnicum hoſtibus votum eſſet. Superi ipſi tantùm à Republica malum auerterent: cuius

ius horrore plenus Rex Iagelo, Vitoldo ſolium ſuum libens concederet. Inſperata legatorum oratio, tantaq́ue in eum Regis ac Regni vniuerſi propenſio, emollierat aliquantùm pertinacem Vitoldi ambitionem. Atque vt quandoque faciliùs dura in molles res impetu illata, aut franguntur, aut repelluntur: iam eius mentem deſtinatorum pœnitentia ſubire cœperat. At poſtquàm aliquorum Polonorum, quibus ante publica commoda, priuatæ rationes cordi erant, occultis literis in antiquam ſpem erectus eſt, obfirmato animo legatis reſpondit. Impudentiæ cuiuſdam, ne diceret, impietatis, argumentum notamq́ue perpetuam ad poſteros fore, ſi fraterno capiti detractum diadema, ſuo imponi permitteret: plus vtique probri, quàm dignitatis, apud vniuerſos habiturus. Regnaret incolumis diu Iagelo, retineretq́ue coronam, quam illi, ſuperi dediſſent Polonorum ſuffragijs: non inuideret autem Vitoldo, ad quam eorundem Superorum ductu, amicorum beneuolentia viam aperuiſſet. Non exiſtimarent Poloni Vitoldum regnandi cupiditate pertinaciùs agere. Non regni acquirendi, ſed ſeruandi nominis, ſtudium, conſtantiæ ſuæ materiam eſſe. Non poſſe iam abſque ingenti famæ diſpendio negligi, quod per vniuerſam Europam vulgatum, omnium ſermone circumferretur. Superos ipſos teſtari, quàm nihil aduerſum Regi, Regnoq́ue Poloniæ, animo agitaret: nihilominus ſi Poloni priùs aliquid mouerint, rebus ſuis neque militem, neque arma defutura. Nondum abierant è conſpectu Poloni, cùm

A.1429.

Vitoldus illud non acceptat.

A.1429. *Cæsaris ad Vitoldũ legatio.* Cæsarei legati iussi sunt mandata sui Principis explicare. Prolixâ illi Cæsareæ beneuolentiæ contestatione præmissâ, initæ recenter cum Cæsare ac Crucigeris amicitiæ symbolum, insigni opere ex auro argentoque elaboratum Draconem obtulerunt, postulâruntque, vt quasdam noui fœderis leges iureiurando firmaret. Ad hæc Vitoldus. *Vitoldi responsio.* Amicissimi Principis hospitale munus, gratâ accepto voluntate, at nouarum amicitiarum symbola nulla noui. Ad perpetuitatem veteris amicitiæ, sat superque sufficit præteritum fœdus; quantumuis nullâ iuramenti religione firmatum. Fides, verbo Principum obligata, incerta esse non potest. Hæc publicè: priuatim verò actum est de maturanda inauguratione, tempusque designatum ad XVI. Kal. Octob. sequentis anni.

Iagelo impedit Vitoldi coronationem per Papã. Rex Iagelo quo res profecisset à legatis edoctus, à summa in terris auctoritate remedium malo quærit, Pontificem Romanum certiorem de omnibus facit. Pontifex quidem, non dubius ingentes inde motus Christianam Rempublicam concussuros, grauiter Sigismundum, Vitoldumque hortatus est, vt ab incœpto desisterent. Verùm iam morbus medici manum non admittebat, præsentioribus remedijs curandus. Iedilnam comitia Polonis indicuntur: publico edicto designantur, qui circa extremos Poloniæ fines vias armatis obtineant, magnâque diligentiâ inuigilent, ne aut Cæsarei, aut Vitoldiani, internuncij commeent. Negotio vniuerso Ioannes Czarnkowski præficitur. Hic impigrè

pigrè suo munere functus, Baptistam Cigallam Senensem, & Sigismundum Rotth Theutonem intercepit; excussisque sarcinis, ac literarum Cæsarearum fasciculo ablato, liberos abire permisit. *A.1430.* *Polonis vias insident, nuncios & literas intercipiunt.* Literarum summa erat. Superuacuam esse Vitoldi de Cæsaris, circa instituendos, inuito aut inscio Papâ, Reges, potestate, dubitationem. Excuteret eam vanam solicitudinem, & ad condictum diem promissa Regni Lituaniæ insignia præstolaretur. Iam in itinere esse suos legatos, qui & Regium diadema secum ferrent, & inaugurationi suo nomine adessent. Adiunctum præterea literis erat fœderis inter Hungariam, Lituaniam, Prussiam, ac Liuoniam recenter initi exemplum: tum publicæ tabulæ, quibus Sigismundus Cæsar, Vitoldum, Lituaniæ Regem solenni ritu renunciabat, creabatque. Vulgata hæc per Maiorem Poloniam priùs, quàm ad Regem deferrentur, vniuersam nobilitatem ad arma exciuerunt. *Legati Cæsarei infectis rebus redeunt.* Viæ omnes armatis insessæ, ne quà legatis liberi aditus paterent: nunciatâ per Germaniam Polonorum conspiratione, legati Francofordiam reuertuntur, duosque menses ibi frustra morati, ad Cæsarem infectis rebus redierunt.

Vitoldus quò propior spei, eò magis morâ affligebatur: plurimos intereà Principes, alio prætextu inuitatos, Moschouiæ, Tweriæ, Odoieuiæ Duces, Scythiæ Regulos, Magistros Crucigerorum, publicis impendijs in eam festiuitatem, Vilnæ detinebat. Vbi verò interuersi Polonorum operâ totius negotij, nuncium accepit,

A.1430. cepit, mærorem coram hoſpitibus aut diſſimulare, aut certè fictâ hilaritate diluere, conatus eſt, protractis diurnis ad finem Septembris conuiuijs. Deſperatâ tandem planè re, digreſſiſque hoſpitibus, cùm ægritudinem totam animo capere non poſſet, cum corpore eam partitam animo capere non poſſet, cum corpore eam partiri cœpit. Incidit in morbum leuem quidem, vti videbatur, & lentum, ſed ſupremum. Lecto affixus, nihil de ambitione dimiſit. Cùm verò inuito Iagelone non profecturum ſe quidquam cerneret, eò conſilia intendit, vt Iagelonem tandem in ſuam ſententiam pertrahat. Scribit illi, per Nicolaum Maldrzyk familiarem ſuum; tandem ſe rerum humanarum haud immemorem, omne ambiendi regni ſtudium depoſuiſſe: precatur, vt quæ hactenus agi contigerat, vti nunquam acta, æternâ conſepeliret obliuione: inuitat, vt ægrum ſe inuiſat, quòd ex eius conuictu, non leue morbi, quo confiictaretur, leuamentum ſperaret. Suſpecta erat Polonis, tanta in Vitoldo, eaque ſubitò exorta, animi moderatio: quare vt ab initio conſtanter obſtiterunt ne Rex in Lituaniam iret; ita abeunti eos adiunxerunt Senatores, quorum integritas ac conſtantia plus opinionis habebat. Suſceptus Rex ad Lituaniæ fines regali magnificentiâ, eâdemque Vilnam deductus. Vitoldus poſt varia, dierum aliquot, in Regem ac Polonos Proceres officia, Regem abſque arbitris nactus, illatoque ſponte de nuperis geſtis ſermone, quæ celabat animo, effudit. Aiebat, non adeo ſe tangi diadematis regij cupiditate: famæ ſuæ diſpendia ita grauia eſſe, vt ea neque animo, neque corpore

In morbū labitur.

Regem in Lituaniam euocatum

Prenſat & ſollicitat.

pore ferre poſſet: rem tanto conatu inchoatam, promotamque, totâ Europâ diuulgatam, quomodo ſine inſigni leuitatis notâ negligeret? ipſam notam quomodo ſanus ferret? Quid tandem damni allatura eſſet corona Lituaniæ, ægro ac moribundo capiti impoſita? Quod ſi morbus eius ſuſpectus eſſet, timeretque Rex, ne coronatus Frater diutiùs viueret, Superos ſe teſtari, quòd altero, aut tertio, ab inauguratione die, regno Lituaniæ Iageloni cedere deſtinâſſet. Cur igitur tam breue regnum fratri inuideret? His, ſimilibuſque, verbis, preces propè indignas tanto Principe adiunxit, quibus fraterna iura, meritaque Vitoldi præterita, vix non deiecerunt Iagelonis conſtantiam. Negauit nihilominus Iagelo ſe quidquam facturum inuitis Senatoribus Polonis, quos ſibi Reſpublica adiunxiſſet. Quare Vitoldus rurſus ad prenſandos Polonos vertitur, atque inprimis Sbigneum. Verſabat virum inuictum, precibus, muneribus, minis, proteſtatus effecturum ſe vt Pontificatu Cracouienſi detruderetur. At Sbigneus adamante fortior, ad omnia reponebat. Vitoldum ante alios Principes dignum faſtigio Regali ſibi videri: at Regem Lituaniæ neminem eſſe poſſe, niſi hoſtem Reipublicæ Polonæ. Lituaniam, quibuſuis regnis amplitudine parem, ſe agnoſcere; at fœdera, tot religionibus inuicem firmata, exigere, ne alium Regem, quàm Poloniæ, habeat. Cæſarem, vt vt ſe amicum fingat, Polonis Lituaniſque rebus ſemper infeſtum, iactis iam diſcordiæ ſeminibus lætum, inter epulas iactare; offam inter canes ſuâ opera

A.1430.

Tentat varijs modis Polonos.

A.1430. ra iniectam: quid verò dicturum speraret Vitoldus, vbi populos tamdiu inuictos, quamdiu concordes, dissidijs adultis diuisos, singulos ad prædam hostium opportuniores aduerterit? Frustra suam constantiam oppugnari in ijs, quæ fraudi Reipublicæ essent: se vt patriæ proditorem esse non posse, ita neque Vitoldi postulatis consentire. Dies aliquot in his contentionibus abiêre: intereà seu nimiâ animi solicitudine, seu ipsâ morbi naturâ, tantas vires ægritudo Vitoldi sumpsit, vt medicorum artem ac spem vinceret. Vbi itaque desperatio vitæ, grauiore futurorum curâ animum perculit: Vitoldus primùm contemnere humana, quæ retineri iam non possent: tum damnare antiqua studia, quorum ratio districto Iudici reddenda esset: demùm totum se dare cogitationi vitæ mortalis Christianæ concludendæ. Regem Iagelonem magnâ verborum modestiâ precatus, vt veniam eorum daret, quæ non suo arbitrio, sed aliorum instinctu, Regis ac regni dignitati contraria attentauerat; Vlianam coniugem eius paternæ curę commendat. Denique ad componendas animi rationes conuersus, expiatâ coram sacerdote per delictorum confessionem conscientiâ, sacris Christianis ritè munitus 27. Octobris die, Trocis obijt. Elatus est magnifico apparatu à Iagelone Rege, & Suidrigelone Duce: tumulatus Vilnæ in D. Stanislai summa æde. Multis deinde post annis memoriam eius ad posteros renouauit. Bona Sforcia Regina Poloniæ marmoreo tumulo ad dextrum aræ maioris latus excitato.

In maiorē ægritudinem prolabitur.

Ad mortē se disponit.

Moritur & tumulatur.

Princeps

Princeps fuit bellicâ gloriâ celeberrimus. Principatum Lituaniæ à mari Baltico, ad Pontum Euxinum, à confinijs Poloniæ ad extrema fere septentrionis propagauit. Scytharum populis sæpè suo arbitrio Regulos dedit. Ad omnia cautus, consilio promptus, pleraque insigni dissimulatione ac celeritate perfecit. Otij hostis, etiam cùm cibo vires reficeret, animum aut dicendo iuri, aut de re militari disceptando, intendebat. In exteros liberalis: suis, etiam summis, seuerior. Sobrietate singulari, nunquam vinum, aut è grano vel melle coctum potum, gustauit. Prouinciarum præfectos ditatos, opibus exuebat; ac mox alijs Prouincijs præficiebat, vt se exigendarum rationum labore absolueret. Staturâ mediocri, neque altâ, neque obesâ: facie imberbi: sermone amœnus. Suadente quopiam ne perquàm gelido die, prælij copiam circa Borysthenem Scythis daret; imò, inquit, hodie confligendum est: si vincemus duplicabimus victoriam; si vincemur, gemino hosti succubuisse nos dicetur, Scythis, & gelu. Arguentibus, quòd aliquas Scytharum tribus, assignatis in Lituania & Russia agris ditâsset: respondit; liberalitate etiam immanissimas feras mitescere. Laudanti cuipiam, Principem supra modum disertum; magis probari sibi reposuit, incomptè loquentem, sed vera. Sunt & alia festiui eius ingenij, non indigna calamo, argumenta: verùm gesta, non dicta conscribentem, hæc etiam memorâsse, nimiùm fortè nonnemini videbitur. A.1430.

 LIBER

A. 1430.

LIBER III.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Boleslao I. Suidrigelone.

MOrs Vitoldi Lituaniam diuersis votis ac studijs in factiones discerpsit. Non Principes modò viri, pro se aut suis, sperare vel ambire: sed priuati etiam, alium atque alium, tum tacitis cogitationibus, tum in amicorum congressibus, Vitoldo successorem designare. Pars præcipua optabat Alexandrum Volodimiri Kiiouiensium Ducis filium, Ducum Slucensium auctorem. Alij Sigismundum Corybuthum Bohemiæ Regem electum, rebus bello contra Cæsarem fortunatè gestis celebrem: vtrumque Iagelonis nepotem. Alij Boleslaum Suidrigelonem regium fratrem, ac præsertim Proceres Russi, quòd suæ religioni addictiorem experti essent. Nihil in illo erat dignum eo Principatu. Homo furiosus, ac crapulâ infamis, qui Vitoldo imperante non leuibus cladibus Lituaniam afflixerat; rebus verò desperatis in Hungariam profugerat exul, nec ita pridem reconciliatis Rege ac Vitoldo, in patriam redierat: habebatque non paucos, præter Russos, quos profusâ liberalitate olim sibi conciliauerat. Iagelo quoque in eum, veluti suum germanum, haud obscurè inclinabat. Id verò vbi sensêre Primores

Candidati ad Principatum Lituaniæ.

Boleslai Suidrigelonis mores.

A. 1430.

mores Lituaniæ, deserto Rege & Republica, Trocis properè se subtraxerunt. Polonos quoque proceres, paulò ante mortem Vitoldi, Rex in Poloniam remiserat; causatus non egere se eorum præsentiâ, postquàm Vitoldus mortis expectatione regni curas exuit: at reuera absentiâ illorum egebat, vt liberiùs Boleslaum, Magnum Lituaniæ Ducem institueret. Non diu eius fauoris Iagelo pretium tulit ab homine furibundo, ac prope amente. Vix dum peracto Vitoldi funere, se suâ auctoritate velut Magnum Ducem ferre; Regem non solùm non obseruare, sed barbarè planè habere; impudenter ei carceres suos nouennales, atque iterata exilia, exprobrare; non dissimulare, sed palàm gloriari, quòd Regem in sua potestate haberet; Polonæ nationis homines in curia agentes contemnere, ac probris afficere: literas ex Polonia missas intercipere, signa earum violare; cùm liberet conscindere.

Rex nihilominùs tot iniuriarum sensum, vultûs amænitate singulari tegebat, ac vniuersa superabat inuictâ constantiâ. Quin imò, incertum est, an grauiora veritus, an verò immanem belluam beneficio mitigaturus, Magnum Lituaniæ Ducem eum renunciare instituit. Priùs tamen Boleslaus publicis tabulis spopondit, Regi eiusque hæredibus, restituturum se Camenecum, Smotriciam, Scalam, Ceruenos, arces Podoliæ: si fortè inter Polonos ac Lituanos, aliâ ratione de earum possessione non fuerit conuentum. Facilè Suidrigelo in eam conditionem consensit desiderio imperij: quod & si suorum

Magnus Dux Lituaniæ creatur.

A.1430. ſuorum ope poſſe vi occupari, non dubitabat; malebat tamen bonâ potiùs gratiâ Iagelonis, illud adire, vt plus firmitatis ad durandum haberet. Violenta quippe imperia, properè quidem inuadi poſſunt, at non conſeruari diu. Conſcriptis de Podoliæ ceſſione ritè tabulis, Boleſlaus Vilnæ in templo D. Stanislai iuxta vſitatos ritus, à Vilnenſi Pontifice eſt inauguratus. Recentis memoriâ beneficij mollior Boleſlaus, initio Regi atque Polonæ aulæ humaniorem ſe aliquantùm præbuit: at malè ſopitus ignis, citò rurſus in furias exarſit. Nunciatâ per Poloniam Vitoldi morte, nobilitas Podolica auctore Gregorio Kierdeio, Daugerdum Dedigoldum eius Prouinciæ Gubernatorem aſtu intercepit, Camenecum & alias arces cum Prouincia, exactis inde Lituanicis præſidijs, Poloniæ aſſeruit. Ad eius rei famam Vilnæ vulgatam ſupra modum furere Boleſlaus: neque tantùm à conuitijs in Regem non temperare, ſed manu vim barbæ eius intentare: Polonis carceres, cruceſque minari, niſi quàm primùm ſibi Podoliam reſtitui curarent. Neque multùm aberant, apud inſanum hominem, à dictis facta. Quare quotquot erant in aula Poloni, latus regium fideliſſimè ſtipabant, quiduis priùs auſuri, quàm Regem violari permiſſuri. Nihil tamen grauius tentauit Boleſlaus, niſi quòd armato milite Regem ac comitatum eius cinctum, ſeptem hebdomadas tenuit. Premebat ea Regis iniuria iuuentutem Polonam, neque deerant, qui cæde ipſius Boleſlai, tantum probrum amoliri deſtinauerant. Feciſſentque procul dubio, niſi in

Cõtra Regem & præſentes Polonos furit.

in Rege validior fraterni ſanguinis reſpectus, quàm A.1430. propriæ iniuriæ ſenſus, ardorem Polonorum extrema audere paratorum, continuiſſet, ne quid in caput Boleſlai attentaretur. Non priùs tandem libertati Rex redditus eſt, quàm Podoliam ſe Boleſlao reſtituturum, vbi veniſſet in Poloniam, ſpopondiſſet. Inuito ſibi eam ſponſionem extortam, videri Rex volebat: at, vt ſemper, in patriam, eiuſque res, propenſiore animo ſumus, ipſi quoque, Podoliæ à Lituania auulſio, non probabatur. Miſſus eſt Tarlo Zaklika Toporius cum mandatis Regis ad Camenecenſem Præfectum, vt Camenecum atque adeo Podoliam totam, Michaëli Baba Boleſlai legato tradat. Verùm Præfectus induſtriâ Andreæ Thczynski, & Nicolai Drzęwicki, per literas cereo incluſas, de Boleſlai in Regem ſcelere edoctus, Michaëlem in vincula coniecit, arces Podoliæ præſidijs accuratiùs inſtruxit.

Sponſionẽ Podoliæ reſtituẽdæ extorquet.

Iam vniuerſam Europam peruagatus rumor, de Boleſlai in Iagelonem Regem inſaniam Romam quoque peruaſerat: quare ſummus Pontifex grauiſſimè Boleſlaum commonuit, Eccleſiaſticæ poteſtatis extremas in eum comminatus pœnas, niſi à facinore tanto deſiſteret. Poloni quoque in Vartenſibus comitijs, pro Rege ad arma conclamauerant, ad XVIII. Kal. Febr. in Lituaniam moturi. Sed iam Boleſlaus furore reſidente, horrore belli quod concitâſſet, affectus mutauerat: metuere imminentem tempeſtatem: veniam factorum ſubmiſſis precibus, ampliſque muneribus apud Regem quærere.

A.1431.

Regẽ deprecatur.

A. 1431. quærere. Non multis in ea obtinenda laborandum fuit: quòd inter fratres vnum insaniâ infamem, alterum humanitate admirandum, actum esset negotium. Vix tamen Rex Iagelò è Lituania digressus Poloniam attigit, Boleslaus in Podoliam cum exercitu mouit. Reiectus non sine clade ab arcibus, in Leopolienses, Trebowlienſesque agros fœdè deſæuijt. Poloni Sendomiriæ comitia celebrabant, cùm cladis Podolicæ nuncium acceperunt: fremere itaque omnes, atque bello aperto perduellem destinare. Rex nihilominus in suos semper pronior, obtinuit; ne priùs armis res ageretur, quàm per legatos de iniuria cum Boleslao expostulatum fuisset. Iuêre viri Principes, cum eiusmodi Reipublicæ, ac Regis mandatis. Podoliâ, Volyniâ, Podlachiâ confestim cederet: ipse coram in senatu postularet à Rege, Ducem se Lituaniæ ex vetere forma renunciari: sin mandata exequi pertinaciter recusaret, legati bellum indicerent Boleslaus negabat aliquid contra ius à se tentatum esse, cùm Podoliam vti patrimonium proprium repeteret: quin aiebat, non se priùs quieturum, quàm eam sibi ac Lituaniæ vindicâsset. Arroganti responso grauiùs irritati Poloni impigrè bellum maturârunt. Rex solus nondum deposuerat omnem spem, flectendi ad saniora Boleslai. Bieciâ præmittit Ioannem Brzezinski, vt omne studium ingeniumque intendat, negotio huic absque armorum tumultu pacando. At Boleslaus neque præsentis belli metu, neque Regis respectu permoueri potuit: quin imò violato, per colaphum, legato, negotium

Podoliam inuadit.

Arrogantia, & violatione legati Polonorum, bellũ conflat cõtra se.

negotium in præceps egit. Rex enim & consumptæ nullo fructu operæ, & iniuriæ recenter illatæ, dolore concitatior, bellum ipse studiosiùs vrgere cœpit. Ægrè ferebat ob insani hominis furorem ditiones Lituaniæ, atque innocentum fortunas in discrimen conijci: sed iam aliter pax parari non poterat, quàm bello; ferendaque necessariò erat, etiam innoxijs, belli fortuna. Nihilominus, vt minore Lituaniæ damno, Polonus bellaret, vinceretque; antequam infesta signa Volyniæ inferrentur, imbellem turbam furori militis subtraxit, monitis per occultos nuncios tempestiuè agrestibus, vt ex apertis ad iniuriam locis, in tuta, se atque cariora, reciperent. Ad Hrodlum ciuitatem, Polonæ copiæ Bugum superârunt: non multùm inde progressis, Boleslaus cum sex armatorum millibus occurrit, numero, militiæque genere longè inferior. Tentatâ belli aleâ per minora certamina, cùm infelices successus habuisset, fortissimis quibusque cum Principe Russo Sienko, aut cæsis, aut captis, ne cogeretur vniuersâ acie de summa rei decernere, properè Luceoriam se recipit. Hinc securiùs equitatus regius ad prædas effusus, vastitatem latè vulgauit. Progredienti cum exercitûs robore Regi, Volodimiria ausa portas claudere, vi cessit: atque ad reliquarum vrbium terrorem, flammis deleta est. Belzensem quoque Ducatum, Cazimirus Mazouiæ Princeps suis copijs atrociter populabatur. Iam vniuersum bellum Luceoriam compulsum fuerat, cùm alibi nemo pro Boleslao arma opponere auderet. Præaltis ripis Vliginosoque

A. 1431.

Post infelicè pugnam Luceoriam se recipit.

Volodimiriam Rex capit & diruit.

A.1431. que alueo, circumfusus Styr, latè stagmatibus paludibus, auidis pugnæ Polonis, superandus erat. In conspectu habebant Luceoriam bello finem daturam: sed deiectis nuper pontibus, abductâque in aduersam ripam omni, tum ratium, tum pontium materiâ; neque pugnandi copia, neque sternendæ viæ modus, dabatur. Tandem ab audacia (vti desperatis rebus sæpè accidit) remedium venit. Audacissimi quique nando fluuium transgressi, præsidia Boleslai oportunis locis disposita reijciunt, naues, ratesque secuturis socijs ministrant. Resistebat nonnihil Boleslaus, inde animosior, quòd loci iniquitas, non solùm victoriam, sed etiam pugnam, Polonis difficilem redderet. Vbi verò ab exemplo priorum, in reliquis accensâ audaciâ, alios atque alios manipulatim ad certamen per fluuium eniti aduertit, ne aucto hostium numero interciperetur, intra mænia se recepit. Mox vt prædam victoribus corrumperet, victoriæque cursum sisteret, ciuitati ignem subijci iussit. Validissimâ intereà manu, sub præfecto Iurzâ ad præsidium, arci impositâ: ipse cum reliquis copijs, per auersam viam, fugienti similis abijt eâ spe; quòd Poloni prædæ cupiditate, & difficultate viâ impediti, victoriam non essent prosecuturi. Superandus enim erat secuturis, sat difficili loco, ipsum arcis ciuitatisque vallum alluens riuus. Expeditior tamen Polonorum equitatus, fugientem assecutus, cohortes, quæ tutando tergo lentiùs fuerant progressæ, profligauit: multos captiuos abduxit; atque inter alios, Gastoldum, & Rombowdum,

Luceoriæ exercitum admouet.

Boleslaum profligat & Luceoria exigit.

tum, viros in Lituaniâ primæ nobilitatis. Polonis ipsis non incruenta ea victoria fuit: cùm enim Scythas fugientes incautiùs insequuntur, ab ijsdem repentè ex fugâ in pugnam, more suo, coorientibus, multi sunt oppressi. Rex depulsis campo hostibus, refectoque breui quiete milite, dum recens adhuc metus minores animos præsidiarijs faciebat, arcis oppugnationem III. Id. Iulij aggreditur. Murorum parte machinis tormentarijs deiecta, fit à milite assultus: pugnatur æquata vtrimque audaciâ, damno impare: maior enim longè in oppugnantibus clades edita est, vnde infectis rebus receptui signum datum. Si patentibus adhuc ruinis, contra fessos, qui extra pugnam fuerant instaurâssent impetum, haud dubiè obsessis vires defecissent, ad tuendum. Idipsum veritus præsidij Præfectus, tridui inducias petijt, specie agendi de conditionibus dedendæ arcis, reuerà vt militem quiete, muros operibus varijs, reficeret. Rex pugnæ fructu victoriâ contentus, cladesque subiecti sibi populi perhorrescens, facilè in inducias consensit. Obsessi verò, magno silentio murorum ruinis vallum obijcere; aquam quæ deficere cœperat, comportare; vniuersa ad propugnandam arcem seruitura, instruere; elapso denique triduo, deditionis loco bellum ostentare. Delusis eâ fraude Polonis, omnis deinde conatus irritus fuit, atque obsidio in longum producta tempus. Hinc, vt pronum est in suspiciones vulgus, queri palàm miles: concessis inducijs, spontè à Rege permissum esse elabi victoriam; plus eum Boleslai fratris causæ, quàm

A.1431.

Arcē Luceoriēsem oppugnat, irrito conatu.

 Regni

A. 1431. Regni commodis fauere; oppugnationem arcis in speciem fieri, exercitum intereà ærumnis exhauriri, ac confici. Verùm, vt fortassis falsò hæc in Regem militari licentiâ iactabantur: ita non defuisse aliquos procerum Polonorum, qui obsessis consilia annonamque ministrarent, testatum reliquit Dlugosius. Boleslaus quamdiu Luceoria Regi non cessisset, necdum spe belli ex voto conficiendi incisâ; Valachis, Scythisque stipendio euocatis, collabentes res suas firmare instituit. Quia tamen ea auxilia, tam citò maturari non poterant, vt intereà Luceoriæ oppugnationem lentiorem redderet, Regem de pace interpellauit. Rex ita de ea per legatos agi permisit, vt nihilo segniùs, negotium armis vrgeretur. Quare legatis vtrimque de pacis legibus disceptantibus, Boleslaus Chelmensem Prouinciam inuadit: Ratnum peropportuno loco situm oppidum, Regi adimit: circumiacentes agros latissimè vastat. Concurrêre citò nobiles ad arma ductoribus Tribunis regijs Ciolek, & Szafraniec: quorum prior non procul Chelmno, posterior ad Cremeneciam, non mediocri clade vastatores delêrunt. Vrgebatur intereà à Rege Luceoriensis obsidio: sed nihil obsessis de audacia imminuebat; quin in belluinum furorem eam vertit. Quotquot enim inter se, siue captiuos, siue suos, Polonæ gentis aut Romanæ Religionis deprehendere potuerunt, exquisitis eos tormentis confecerunt. Excarnificatos aut de muris suspendebant, aut in palum actos oppugnantium oculis obijciebant: ita nimirùm defendendæ

Suidrigelo pacem se petere fingit.

Polonorũ vires distrahit.

Luceoriẽsium Russorum immanis crudelitas.

dendæ extremâ vi arcis necessitatem sibi facturos existimabant, si omnem spem clementiæ præciderent apud eos, quorum inexpiabile odium, tam immanibus factis contra se vltrò concitâssent. Addiderunt crudelitati, facinus sacrilegio horrendo plenum. Auctore quopiam mago, gente Iudæo, adolescentis Poloni collo transfixo, eductoque inde omni cruore, recisis virilibus, aperto pectore, extractis præcordijs, corpus reliquum minutatim concisum, candentibus prunis torrendum impositum est. Cuinam infernalium monstrorum eo scelere litauerint, non comperio: illud constat, credidisse eos inexpugnabilem arcem redditum iri, vbi compita eius & angulos omnes, funesto illo nidore sacrâssent. Poloni tam immanibus exemplis exacerbati, vindictam quam in omnes vulgare non poterant, in eos ineuitabili cæde exercebant, quos casus aliquis manibus eorum obiecisset. Frigidior tamen anni tempestas sensim ingrauescens, viris simul ac iumentis peracerba, vlciscendi pugnandique ardorem restinxit: præsertim quòd pabulo omni circumquaque consumpto, gemino malo, inediâ & gelu, enecarentur. Itaque pertæsi castrensis miseriæ, quocumque fœdere bellum quàm primùm terminari, palàm summi ac infimi postulabant. Boleslaus verò quia nuper pacis mentione imponere tantùm Polonis voluerat, nihil minùs, quàm pacem, animo agitare. Augente præsertim animos nuncio, quòd & Valachiæ Princeps Alexander, Podoliam inuasisset, & Theodoricus Magister Crucigerorum, Dobryniam,

A. 1431.

Poloni belli pertæsi pacem optant.

Boleslaus Suidrigelo illudit.

 bryniam,

A. 1431. bryniam. Neque tamen audebat negotium simul omne pacis abrumpere: sed varias difficultates comminiscebatur, quibus fœderis ineundi conditiones, iam criminando, iam reijciendo, rem omnibus artibus protrahebat. At vbi fama certior vulgauit, Valachos in Podolia Buczacijs Ducibus cæsos, Crucigeros à nobilitate maioris Poloniæ ad amnem Vinsza profligatos; desperatis auxilijs fœdus maturauit. Breues dumtaxat induciæ pactæ sunt, vt intereà partium capita Parcouiam conuenirent, atque de ratione perpetuæ pacis transigerent. Rex solutâ obsidione, dimissoque exercitu, Leopolim contendit. Volynij metu armatorum liberi, per vniuersam prouinciam, in templa Romanæ religionis, ac Polonæ gentis capita, incredibili crudelitate sunt grassati.

A. 1432. *Iagelo Parcouiæ comitia celebrat.* Instabat dies conuentui Parcouiensi ad IV. Non. Febr. dictus. Iagelo præmissis Polonorum Niepolomiciæ comitijs, nè quam suâ morâ nouis turbis materiam præberet, ante condictum tempus Parcouiam venit. Conuenerant quoque ex Lituania, tum proceres, tum equestres legati, magnâ frequentiâ. Solus Boleslaus desiderabatur. Perspiciebat probè Rex, quidquid tandem cum alijs è re publica statuisset, id ob Boleslai absentiam, neque firmum, neque diuturnum fore. Magno itaque studio Brestiâ Parcouiam eum pertrahere contendit: & procrastinantem, diu satis expectauit. *Boleslaus ad ea venire recusat.* Boleslaus verò contentus pacis spe Luceoriâ periculum depulisse, consilia obtestationesque regias contemnebat. Fastu

Fastu tumida mens, vix dum præsentium periculorum sensu tangebatur, nedum futura ac incerta, vel videret, vel æstimaret. Non parùm etiam contulit disturbandis regijs consilijs Gubernatoris Toruniensis, Crucigerorum ad Boleslaum legati, opera: qui fratrum discordias, Ordinis sui rebus pernecessarias, contemptumque belli Polonici, amplis promissis auxiliorum, studiosè fouebat. Iagelo spe omni pacis frustratus, cùm sanguinis amor, tot iniurijs ferendis non sufficeret, alias rationes inire cœpit: quibus Boleslao domito, læsa Regiæ auctoritatis iura vindicaret. In Poloniam Parcouiâ abijt, atque comitia Polonorum Siradiam indixit. Poloni, quòd eorum maximè res ageretur, ne Podoliam & Volyniam amitterent, quibus Boleslaum neutiquam cessurum, tot argumentis constitisset, omni contentione persuadent Regi, vt Boleslao Sigismundum Vitoldi fratrem, Starodubensium Principem, æmulum opponat translatis in eum Magni Ducis Lituaniæ titulis. Non diu difficilem se præbuit eorum consilio Iagelo, nimiùm quàm pertæsus Boleslai. Mittuntur itaque Regis ac Reipublicæ legati: Sigismundus ad sumenda contra Boleslaum arma tacitè, concitatur: auxilia à Polonis spondentur: victoriæ præmium, Magnus Lituaniæ Principatus addicitur. Sigismundus iam ante Boleslao offensior, quòd Principatum in Kieystuti familiam per Vitoldum, illatum, in se, vi magis, quàm Ordinum aut Regis voluntate transtulisset; auidè arripuit spem ostensam ornandæ domûs, quàm filio egregio iuuene, paternarum

A. 1432.

Rex de opprimendo Suidrigelone consultat.

Sigismundum Kieystutiadem ei æmulum opponit.

ternarum

A. 1432. ternarum ditionum successore, firmatam habebat. Lituani quoque Proceres plerique Laurentij Zaremba operâ solicitati occultè, nullo negotio in Regis sententiam concesserunt, atque partibus Sigismundi sese adiunxerunt. Nam vt vniuersos propè Boleslaus incredibili crudelitate à se auerterat; ita maximè in eorum odium incurrerat: qui antiquâ origine Lituanâ prognati, ægerrimè ferebant, in gratiam Russæ coniugis Twerensium Ducis filiæ, à Boleslao solos fere Moschos ac Russos magni fieri, & præcipuis Magistratibus admoueri. Vt primùm à Seueria digressus Sigismundus Lituaniam attigit, spontè accurrentibus proceribus, ac nobilitate, breui iustus coaluit exercitus. Destinauerat Sigismundus, cum expeditionibus, tacito agmine, maximisque itineribus, Boleslaum Osmianæ securè agentem opprimere, atque captum Regi mittere. Verùm Palatinus Trocensis Ioannes Moniuidus, à quopiam, quæ destinata essent edoctus, Boleslaum de imminenti periculo præmonuit. Tam improuiso ille nuncio attonitus, non arma, non consilium, retinendæ dignitati expedire: stupere ad omnia: solius vitæ curâ, viam fugæ circumspicere. Tanta porrò fuit fugienti trepidatio, vt ne coniugem quidem, comitem fortunæ assumere voluerit. Re vniuersâ familiari cum coniuge affectibus æmuli proditâ, solus Smolenscum vsque fugit. Ibi primùm recepto spiritu, Russorum fauore Polocensi ac Kiiouiensi, Prouincijs, in suam factionem pertractis, Russiæ se Ducem ferre cœpit. Sigismundus omni propè bello

Boleslaus Suidrigelo ex Lituania fugit.

Russiam occupat.

bello absque pugna confecto, Vilnam, Trocos, Grodnam, ac reliqua totius Lituaniæ loca incruentâ victoriâ, sui iuris fecit: atque quàm primùm per Ioannem Niemirowicz de exacto è Lituania Boleslao, Regi gratulatus est. Subsecuti non multò post alij legati, qui narratâ in senatu rei gestæ serie, postularent, vt Sigismundus Magnus Lituaniæ Dux renunciaretur. Non poterat negari præmium victori, Regis ac Reipublicæ fide promissum: præsertim quòd legati Sigismundi sanctè sponderent, eum in Regis potestate semper futurum, nec priùs cessaturum à bello, quàm Boleslao penitus debellato. Differre postulata, res erat plena discriminis. Inter nouarum enim rerum turbulentos motus, sæpè ipsum tempus studia vnius factionis remittendo, alterius intendit. Cùm itaque festinatione opus esset, ex Senatusconsulto lecti sunt viri, tum integritate probatâ, tum agendi dexteritate conspicui, Sbigneus Olesnicki Episcopus, Iarandus de Brudzow Palatinus Cracouiensis, Ioannes de Lichno Palatinus Brestensis, & Laurentius Zaremba, alijque. Ijs, Regis ac Reipublicæ auctoritas commissa est, vt certis legibus Sigismundum Magnum Lituaniæ Ducem inaugurarent. A. 1432.

Legati Regij ad Sigismundum.

V LIBER

A.1432.

LIBER IV.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Sigiſmundo I. Kieyſtutiade.

Sigiſmundus Kieyſtutiades certis conditionibus fit Magnus Dux Lituaniæ.

Non multis laborandum fuit apud Sigiſmundum legatis Regijs, vt ea perſuaderent, quæ in ſecretis mandatis, à Rege ac Republicâ, acceperant. Quid enim pronius, quàm imperij causâ, quiduis polliceri? Sigiſmundus tamen ita agere viſus eſt, vt ex fide eum præſtiturum, quæ ſpopondiſſet, haud dubiè ab omnibus crederetur. Stipulationis iureiurando firmatæ hæc ſumma erat. Vetus Lituaniæ cum Polonia fœdus, vnio dictum, inuiolatum ſemper ſeruaretur. Sigiſmundus Rege, Ordinibuſque Regni inſcijs, aut inuitis, neque procuraret, neque admitteret Regios pro Lituania titulos, ac inſignia: nullum alium, quàm Regem eiuſque hæredem, ſucceſſorem ſibi legeret, deſignaretúe. Filius eius Michaël Dux Trocenſis, & Starodubenſis, iiſdem prouincijs contentus viueret, regiumque in ſe ius ſemper agnoſceret. Sigiſmundo mortuo Volynia regno Poloniæ adiungeretur. Michaële abſque maſculâ prole decedente, ius omne Trocenſis ac Starodubenſis Ducatûs, ad Regem deuolueretur. Hæc de Sigiſmundi ac procerum, nobilitatiſque conſenſu, in publicas tabulas relata, eorum ipſorum

A.1432. Inauguratur à Sbigneo Epiſcopo Cracouienſi.

ipſorum nominibus ac ſignis ritè commonita, legatis regijs ſunt reddita. Tum Sbigneus legationis Princeps, in templo D. Staniſlai Vilnæ, Summi Pontificis diploma, ad confertiſſimum populum explicuit: in quo Sigiſmundus ipſe, atque omnes Magni Ducatûs Lituaniæ incolæ, iuramenti ante annum Boleſlao præſtiti religione, exoluebantur. Mox ſolitis ceremonijs Sigiſmundum Magnum Ducem, per Mareſchalcos proclamatum, inaugurauit, ſtricto enſe, quem Rex miſerat, dextræ eius inſerto. Ægrè ea res habebat Ludouicum Torunij Præfectum, qui cum tribus legationis ſuæ collegis, Ordinis Crucigeri equitibus, Vilnæ, ſub legati velo, egregiè vicibus, ac perſonâ ſpeculatoris, fungebatur. Ille arcana Senatûs venari: Principem ac primores amicitiâ Crucigerorum ineſcare: nihil negligere, quod pactis conuentiſque Sigiſmundi, atque adeò fœderibus Polonicis conuellendis prodeſſet. Neque deerant qui eius machinationes apud Principem, & in Senatu validè promouerent. Ante alios ſuam operam Crucigeris addixerat, Georgius Butrym vir magnarum in Samogitia opum. Hic vt erat in Senatu, præcipuæ auctoritatis, quam verſatili ingenio ac eloquentiâ, quæſitæque per exteram peregrinationem prudentiæ opinione, collegerat; non leuiter vniuerſa labefactabat. Præualuêre nihilominus, quibus ſanior erat ſententia. Ludouicus vti hoſtis, vt finibus Lituaniæ, cum collegis quàm primùm abiret, publico edicto mandatum: Georgio, ni grauiora vellet experiri, ſilentium impoſitum.

Crucigeri pacem inter Polonos ac Lituanos turbare conantur.

A. 1432. Suidrigelo ipse Lituaniam; per Ducē Ostrogium Podoliam, inuadit. Boleslaus intereà, cùm Sigismundus Lituaniam ordinat, per Russiam, quam prope totam liberalitate factionis suæ fecerat, magno apparatu militem scribebat, bellum simul Sigismundo & Iageloni illaturus. Bifariam copias partitus, ipse in Lituaniam duxit; Theodoro Duci Ostrogio occupandæ Podoliæ curam commisit. Neque infeliciter Theodoro ea expeditio cessisset, si primis successibus pares euentus, instabilis rerum humanarum sors, attexuisset. Improuiso bello Podoliam aggressus, breui eam asseruit Boleslao. Rex ad progressus hostiles sistendos properè Leopolim accurrit, atque inde Vincentium de Samotulij Russiæ Palatinum, contra Theodorum expediuit. Theodorus leui equitatu, ex Russis, Valachis, Scythisque conflato, ad insidias, quàm apertum certamen validior, non ausus occurrere Samotulio, tantùm per interualla infestando fatigabat Polonos, carpebatque. Samotulius vniuerso simul robore progrediens, obuias arces facilè recepit, iamque Braslauiæ imminebat. *Samotulski Podoliam recipit.* Theodorus veritus, ne si ea Polonis cederet integra, annonâ, cæterâque prædâ non leuiter reficerentur, præmissis expeditissimis equitum, arcem ciuitatemque exuri curauit. Excurrens Nouember iam militem ad hyberna reuocabat, neque in Prouincia supererat aliquid agendum, exercitu hostili omnem prælij copiam industriè deuitante: quare versùs Poloniam Samotulius castra mouit. Abeuntem Theodorus tacito agmine, ita sequitur, ne vel Polonus sentiret Russos vestigio insistere, vel ipse rei gerendæ occasionem

sionem elabi sineret. Morakua fluuius inter densa nemora, vliginosis ripis latè exundans, Polonis in reditu superandus restabat. *A. 1432.* Instrauerat eum glacie, autumnale gelu: sed ab ea, quòd ad ferenda onera necdum firma esset, plus impedimenti transituris obiiciebatur. Subsistere itaque coactæ copiæ, donec congestis temerè virgultis, ac vimine, via per paludosa loca tumultuario opere muniretur. Intentis in id opus Polonis, Theodorus cum suis, magno silentio fluuium alio loco traijcit, atque à fronte viam insidijs occupat. *Theodorũ Ostrogium post ancipitem pugnam, profligat.* Pars Polonorum superato difficili transitu, cum impedimenta atque cohortes reliquæ sensim subsequuntur, nihil hostile ab illa ripa metuens, securè curandis corporibus indulgebat. Re per exploratores cognitâ Theodorus, sublato repente tubarum clangore, in securos impetum facit. Improuiso circumuenti discrimine Poloni, cùm per occupatum curribus aggerem, neque ipsi ad suos se recipere, neque ab illis auxilia accipere possunt, auctis ex desperatione animis, hostem constanter excipiunt. Pugnatur acriter. Samotulius tam ancipiti periculo deprehensus, ociùs currus ex aggere agi præcipites, glaciem confringi, viam reliquis copijs aperiri iubet: fluuium nando transgressus pugnam instaurat. Auctis Polonorum viribus acriùs vtrimque prælium insurgit; sed spes Theodoro superior: instructâ acie, recenti milite ac numeroso, cum fessis, ac tumultuariè in pugnam venientibus, prælianti. Adhuc animus Polonorum ac virtus æquabat fortunam prælij, cùm Rusi victoriæ securi,

A.1432. ad ſpolia deſertis ſignis, diffluere cœperunt. Nihilo tamen ſpes inde melior Polonis: Ruſſis periculum non ſentientibus. Solius Kemlicij Centurioris fortitudo vices confudit, prope victorum Ruſſorum, ac in fugam inclinatorum Polonorum. Excurrerat ille Ducis iuſſu annonę cauſâ ad vicinos pagos, cum centum equitibus. In reditu, cùm à longè clamorem ſtrepitumque audîſſet, pugnari haud dubius, calcaribus adactis citato curſu ad ſuos properat, editoque confuſo clamore, qui ſpeciem maioris exercitûs faceret, à tergo Ruſſos aggreditur. Mox Poloni audaciam ac ſpem reſumere: Ruſsi à præda ad pugnam reuocati non ſigna, non ordines ſuos reperire. Theodorus Dux maiorum auxiliorum opinione deceptus ante alios è campo cum delectis ad tutiora ſe proripuit: Ducem, totius exercitûs, effuſa fuga eſt ſubſecuta. Cædes longè maior in fuga, quàm in acie, edita. Quòd enim ſereno cælo, luna plenolumine, diem ferè æquaret, Poloni vltra mediam noctem fugientem Ruſſum inſequendo, continuârunt victoriam. Pridie Kal. Decembr. loco ad quadraginta leucas Leopoli diſsito pugnatum eſt. Nuncius tamen victoriæ, nullo certo auctore, eodem ipſo die per ciuitatem vagatus, ad Regem publicè in templo Superis ſupplicantem peruenit. Poſtero deinde die cum ſignis de hoſte captis, legatus à victore exercitu Regem ſalutauit.

Non multò poſt, nempe IV. Id. Decembr. Boleſlaus quoque in Lituania profligatus eſt. Quinquaginta millium

lium exercitu Lituaniam adortus, caſtra ad Oſmianam poſuerat. Vniuerſa prope Ruſsia arma pro illo ſumpſerat: neque ea ſolùm, quæ Magno Duci Lituaniæ ſubiecta Polociam, Smolenſciam, Miſciſlauiam, Seueriam, Kiiouiam, Volyniam prouincias complectebatur; ſed etiam Moſchouia, Rezania, Tweria, ductore Iaroſlao, germano Boryſsi Twerenſium Ducis. Liuonia quoque ex ſecreto fœdere, auxilia Germanica miſerat. Non deerant præcipuæ nobilitatis Lituaniæ proceres, qui exercitum eius ſuo milite auxerunt. Sigiſmundus tamen, numero longè inferiores Lituanorum, Samogitarumque copias, intrepidè æmulo obiecit. Commiſſo prælio Superi victoriam ad bonam cauſam inclinârunt. Decem ſuorum millibus in prælio amiſsis, ægrè ipſe fugâ Kiiouiam Boleſlaus euaſit. Quatuor millia viuorum in poteſtatem venerunt, atque in his, præcipua belli factioniſque capita. Eximia victoria facilè datura pacem credebatur: niſi eam ſatis in campo cruentam, Sigiſmundus magis funeſtâſſet; fortè neceſſariâ, nec iniquâ, odioſâ tamen nimiùm apud populares ſeueritate. Poſteaquàm fama vulgauit Georgium Linguienium nepotem regium, Miſciſlauienſium Principem, patrimonio omni exutum, in carceres Trocenſes coniectum: Daugirdum Dedigoldi filium, ac Ducem Theodorum Odyniec, cęteroſque, arctiùs haberi, quàm eorum genus, dignitaſque ferret: Ioannem Moniuidum Palatinum Vilnenſem, Rombowdum Mareſchalcum Lituaniæ, vt perduellionis reos peractos, capite truncatos

A.1432. Suidrigelonem Sigiſmundus profligat.

Rebellium primores plectendo, omnes à ſe auertit.

A.1432. catos esse: summi æquè ac infimi crudele in nouo Principe ingenium suspicari, atque inde infame tyrannide eius imperium fore ominari, & execrari. Sigismundus, ne victorem exercitum suarum ditionum prædâ sagi-naret, modicâ à prælio interiecta quiete in Liuoniam mouit, quòd contra fœdera à Liuonibus ministrata esse Boleslao auxilia compertum haberet. Prouinciâ totâ latissimè euastatâ, miles copiosâ prædâ, Dux ob iniuriam vindicatam lætus, ad hyberna rediјt in Lituaniam. Inde ad venerationem Superorum qui victoriam dedissent versus, in perpetuum gratæ voluntatis monumentum, Osmianæ templum, ac Collegium Sacerdotale, *Canonicos* vulgus vocat, erexit, reditibusque amplis, instruxit. Russos, qui Græcis ritibus in Romani Pontificis obsequio, religionem Christianam colunt, insignibus priuilegijs ornauit.

Liuoniam inuadit & vastat.

Osmianæ Ecclesiam Collegiatã fundat.

A.1433. Boleslaus nactus otiũ, quod hyems & hyberna Sigismũdi quies, permittebant; instaurandis in Russia viribus impendit: maioribus longè copijs, fortunam superioris anni, primo vere correcturus. Plerique, nuper cæsorum procerum, amici, cognati, ac clientes, odio Sigismundi, Boleslao accedebant: præsertim quòd satis auersos à se animos nuperâ magnatum cæde, magis irritâsset incredibili auaritiâ. Quamquàm verò nonnulli, nondum auderent palàm ad castra Boleslai transire, ita nihilominus Sigismundum deseruerant, vt nihil dubij esset, illos Principis cladem à longè otiosè spectaturos. Neque Polona auxilia aut Sigismundus sperare, aut Boleslaus

Suidrigelo bellum in Russia cõtra Lituaniam instaurat.

Boleslaus metuere, poterat. Nam Iagelonem Regem A.1433. annis laboribusque præteritis fractum, ac bellis gerendis imparem, domestica quies tenebat. Duces verò Poloni exercitûs, Prussia nouo bello implicuerat. Boleslaus itaque trifariam exercitum partitur: ipse cum parte, Lituaniæ interiora aggreditur, ac latè vastat. Legati eius, ac factionis Duces, Corybutus, Ostrogius, Nossius, cum reliquis duabus partibus, per Podoliam, Volyniamque impunè grassantur. Sigismundus Polonorum auxilijs destitutus, de Lituanorum procerum fide non ex vano dubius, non est ausus se ipsum exercitui concredere: sed Petrum Montigerdowicz bello gerendo præfecit. Hic audendo nimius, cùm temerè confligit, amisso exercitu, Sigismundi partes propè ad extremum perdidit. Ad eius cladis nuncium Sigismundus, cum paucis, præcipuorum amicorum cohortibus, intra densiores syluas se, vxoremque ac filium, recepit. Boleslaus depulsis campo Sigismundianis, ab ea victoriâ longè insolentior, ne tempus oppugnandis arcibus tereret, in aperta extremè sæuiit. Vilnam, Trocos, Creuum, Lidam, Merecium, Grodnam, ciuitates, & quidquid pagorum toto eo tractu erat, igne deleuit. Carpebat quidem Sigismundus è syluarum latebris identidem erumpens, incautiùs palantes: at vniuersi belli moli impar, nihil momenti maioris tentauit. Euastatâ Lituaniâ Vitepsciam Boleslaus duxit. In eo itinere captum Toloczyni Ducem Michaëlem Iwanowicz, aquis suffocari iussit. Vitepsciâ potitus Simonem Holsanum Ducem,

Lituaniæ Prouincias impunè vastat.

Exercitũ Sigismundi profligat.

Vitepsciã occupat, eiusq; Præfectum enecat,

A.1433. Ducem, Prouinciæ totius Præfectum, ab edito monte in præterfluentem Dunam, præcipitem egit. Ibidem deprehenderat quempiam impostorem Harasimum, qui vsurpato vniuersæ Russiæ Pontificis titulo, Vitepsciæ Pontificatûs sui sede collocatâ, miseris populis imponebat, ab obsequio Romani Pontificis, ad Græcum schisma auocando. Eum quoque, siue in gratiam Kiiouiensium, siue aliâ causâ (neque enim veræ religionis tuendæ studio factum crediderim) viuum flammis addixit. Cùm Boleslaus à Septentrione per Russiam imperium sibi firmat, legati eius, Theodorus Corybutus, & Nossius peragratâ meridionali Russiâ, vastatisque Podlachiæ confinijs in Polesiam vsque penetrârant. Brestiam magnâ vi oppugnabant: obsessosque grauiùs premebat fames, quàm hostis; quod in subitos casus, nullam annonam præsidiarij præparâssent. Cessisset procul dubio arx hosti, peroportuno loco sita, nisi Mazouiæ Duces contra vicinum hostem mouere iussi, impigrè in campum prodijssent. Famâ eorum territus Corybutus, obsidionem Polesiamque deseruit. Longè maior à Scythis imminebat clades, nisi eam Superi, in ipsius Boleslai caput, vertissent. Amplis muneribus Boleslai euocati, maximo numero sub signa confluxerant, vt Sigismundo eiecto, Lituaniam Boleslao restituerent. In via à Regijs legatis edocti, Sigismundum à Iagelone Lituaniæ Principem creatum, in eius obsequio agere; Boleslaum verò rebellem, Principatu exutum, bellum contra Regem gerere: furias, in Boleslaum, quòd eos fefel-

Per legatos suos Polesiam vastat.

Scythæ contra Sigismundũ exciti, in Suidrigelonem arma mouerunt.

fefellisset, effuderunt. Ne enim prædâ vacui domos repeterent, crudeli populatione, in Russiam Boleslao subiectam, ac præsertim Kiiouiam, & Czernihouiam sunt grassati. Exeunte primùm Autumno è latibulis emersit Sigismundus, atque exiguis copijs, quæ magis ad iniuriam patebant, è Boleslai ditionibus, vastauit. Miscislauiam vsque vastatione progressus, post vrbem arcemque pertinaci, vnius mensis oppugnatione, captam, in hyberna concessit. A.1433.

Sigismundus Miscislauiam recipit.

Sequens annus Regi Ladislao Iageloni vltimus fuit. Excurrerat in Lituaniam, ibique à Sigismundo in oppido Krynki omni honoris significatione acceptus, imperium ei in Lituaniam confirmauerat. Regressus in Poloniam, Corczyni comitijs interfuit: inde Cracouiam, deinde Leopolim contendit, vt Stephanum Moldauiæ Principem inauguraret. Tot itineribus afflictâ valetudine: in castello Grodek viribus instaurandis, aliquantùm quieuerat. Sed iam grauior vis mali erat, eâ præsertim annorum maturitate, quàm vt quiete solâ leuaretur. Philomelam, inter proxima arbusta canentem, pro more suo, in longam noctem de fenestra audiendo, sensim caput atque præcordia frigore nocturno peruadente, febriculam conceperat. Accesserunt incommoda viarum, quæ malum auxerunt. Nondum tamen ægritudinem aut medicus, aut Rex ipse sentiebat: senilium virium languor credebatur, qui morbus erat supremus. A mensâ demùm, cùm repentè animo linqui cœpisset, ad lectum delatus, de vita rem agi intel- A.1434.

Rex Iagelo moritur.

 lexit.

A. 1434. lexit. Vocatos itaque regni Proceres inprimis rogat, ne in sufficiendo sibi Rege, Ladislaum filium præterirent. Pollicentibus singulis suam operam, ad Sbigneum Olesnicki, oratione conuersâ, annulum digito suo detractum illi tradit, magnaque demissione precatur, vt eorum, quæ ex occasione dissidiorum in sentiendo, accidissent, veniam sibi indulgeret. Tabularios deinde accersiri iubet, qui supremam eius voluntatem in tabulas referrent. Tabulis ritè confectis, monente Sbigneo, totum se dedit ad eluendam exactiùs à culpis omnibus conscientiam, componendumque Christianâ pietate animum, ad extremum vitæ momentum. Intra septendecim dies consumptus, pridie Kal. Iunij excessit è vita: cùm annos octo supra quadraginta, & quatuor menses, regnâsset. Fuit Princeps, corpore laborum ac incommoditatum patientissimo; animo ad excelsa erecto. Staturâ mediocri, facie ac collo, oblongis. Curandi corporis studiosior videbatur, quòd balneum in singulos aut alternos dies, adhiberet. Cæterùm cibi potûsque parcus, vino semper abstinuit. Rudi, simplicique habitu contentus, nihil in veste fastuosum admittebat. Venationum à puero studiosior, earum vsu corpus ad ferendos labores indurabat. Munificentiâ in omnes, sed præcipuè in templa, & exteros, insigni: nullum ipse donum, quantumuis exiguum respuere; neminem supplicantem spe omni præcisâ repellere, verùm aliquâ donatum parte, benignè à se dimittere solitus. Egentiores magnâ comitate inuitabat, ad explicandas suas iniurias: quam-

Mores Iagelonis.

quamquam, quòd neminem libenter offenderet, tardiorem se in ferenda sententia gereret. Cùm domo egrediendum foret, vno pedi insistens, ter in gyrum se circumagebat. Veterùm superstitionum has fuisse reliquias, credebatur: at quia, quâ animi sententiâ id faceret, nulli aperuit, superstitionis ego non damnauero. Ita enim in Missæ sacrificio, cùm ad cultum populi, sacra Hostia à Sacerdote in altum leuaretur, ille in terram prostratus, festucam aut quidpiam simile arreptum minutimque confractum abijciebat. Neque tamen id superstitiosum dixeris, quòd eo argumento Supremi Numinis in omnia auctoritatem, regiorumque capitum subiectionem, publicè se profiteri affirmaret. A. 1434.

Poloni nequid per longius interregnum turbaretur, Ladislaum Iagelonis natu maiorem filium VIII. Kal. Aug. solemni ritu inaugurârunt. Sigismundus his comitiis non interfuit, graui morbo domi detentus. Præcipuos tamen Procerum misit, qui eius ac Ordinum nomine, antiqua fœdera cum nouo Rege instaurarent. Eadem occasione Podolia & Russa nobilitas, ad pares cum Polonis equestres prærogatiuas admissa est, antiquatâ vetere Ducum Russiæ consuetudine, quibus nobiles certam frumentorum pensionem debebant, & militiam proprijs stipendijs.

Ladislaus filius Iagelonis Rex Poloniæ.

instaurat fœdus Lituanicum.

Boleslaus intereà à bello non cessabat. Russorum copijs è Polocensi Prouincia eductis, per confinia Dunæ, Braslauienses agros inuasit: sed nullo ferè maiore operæ pretio. Nã, vt est ea ora paludibus ac lacubus plena; in-

Suidrigelo infeliciter Lituaniã tentat.

 solita

A.1434. ſolita imbrium vis, ita Boleſlai caſtra implicuit, vt neque progredi, neque ſubſiſtere, ſine damno ac difficultate poſſet. Fruſtratus ſpe, ægrè Polociam ſigna reduxit. Peiore fortunâ Liuones Crucigeri ab eo conducti, Samogitiam inuaſerunt: nam inter denſiſſimas ſyluas inſidijs excepti, prope omnes deleti ſunt. Magiſter ipſe Sancius vix cædi caput fugâ ſubtraxit. Non meliores ex Podolia nunciabantur ſucceſſus. Coortis nuper diſſidijs, in vincula Theodorum Corybutum Boleſlaus conieceratl. Eâ Boleſlai ferociâ Corybutiani clientes ac ſubditi commoti, initâ cum Buczacijs conſpiratione, copias Boleſlai fundunt; Corybutum in libertatem aſſerunt. Corybutus ſibi redditus ad Polonos tranſijt, quas arces in Podolia ſuis præſidijs obtinebat, Braſlauiam, ac Cremenecum Regi Ladiſlao dedidit. Nihilo tamen inde minor animis Boleſlaus, ex ſuperiore potiùs ſucceſſu, ſpes ſuas metiebatur, neque inclinantis fortunæ vices, metuebat. Magnis viribus bellum in ſequentem annum parat. Quotquot Ruſſia dare potuit militiæ aptos, armat: auxilia tum ex fœdere, tum ſtipendijs conquirit: Liuonos, Moſchos, Caſanenſes Scythas, Bohemos ductore altero Corybuto, vulgò Zidimino, & Sileſios ductore Sigiſmundo Rotth conſcribit. Non ignorabat Sigiſmundus Boleſlai apparatum: quare, præter inſtitutos in Lituania maturè per hyemem delectus, Ladiſlaum Regem monet, quid diſcrimis Ruſſia pariat. Intererat Ladislai, vt initijs regni domito Boleſlao, bellicæ fortunæ famâ, reliquos hoſtes percelleret,

Boleſlaus Suidrigelo maiore apparatu bellum reſumit.

Miſſus

Miſſus itaque eſt in Lituaniam expertus bello Dux, Iacobus de Kobylino cum octo millibus Polonorum. Iam Boleslaus primo impetu occupatâ Braslauiâ, atque inde reliquum Lituaniæ excurſionibus peruagatus, caſtra Vilkomergiæ admouerat. Verùm eius oppugnationem ſitu loci difficilem, ex præſidiariorum conſtantiâ, longiorem ſpe habuit. Sigiſmundus contractis in vnum Polonorum, Lituanorumque copijs, vniuerſæ rei Michaëlem filium, ſtrenuum iuuenem præficit. Michaël nihil moratus contra hoſtem ducit. Triduo aduerſi exercitûs, caſtris Suientâ fluuio diuiſis, in mutuo conſpectu ſtetêre: quòd Michaël ab itinere quiete ſuos reficeret; Boleslaus verò iniquo ſibi loco prælium euitaret. Summo mane prior inde mouit Boleslaus, caſtris ac pugnæ opportuniorem campum capturus. Michaël dubio adhuc die, moueri caſtra hoſtium ab excubitoribus monitus, cedere Boleslaum exiſtimabat: expeditis ergo cohortibus negotium dat, vt carpendo à tergo hoſtem, diſtineant. Ante ortum ſolis inchoato inter paucos certamine, cùm pugnantibus vtrimque ſenſim maiora auxilia ſubmittuntur, res eò deducta eſt, vt totis exercitibus concurreretur. Boleslaus indignatus, quòd prior Michaël orſus eſſet pugnam, vlciſci ignominiam volebat: Michaël ratus Boleslaum fugere, vniuerſis viribus inſiſtebat, ne elaberetur. Errore Ducum commiſſi exercitus, pugnabant paribus animis, armiſque. Leuior ſiquidem Lituanorum equitatus, arcu ſolo ac enſe pugnam ciere conſuetus, cum Ruſſorum equeſtribus copijs,

A.1435.

Vilkomergiam oppugnat.

Ab exercitu Sigiſmudi profligatur.

A.1435. pijs, pariter bella gerere solitis, conflixit: Polonis equitibus hastatis, graues ferro legiones Liuonum, Bohemorum, & Silesiorum oppositæ. In has magno impetu illatus eques Polonus, vbi viam inter confertos ordines hastis aperuit, gladio rem agerem cœpit. Non diu hostis eam pugnam sustinuit; robore ipso exercitûs perrupto, tota acies in fugam effusa est. Liuones pertinacissimè, locum, quo constiterant, retinentes, Magistro, Mareschalco, & fortissimis quibusque cæsis, propè extremâ strage deleti sunt. Bohemorum, Silesiorumque ductores, atque Russorum plurimi, viui in potestatem venerunt. Michaël remissis ad Parentem captiuis, victoriam est prosecutus. Pólociam, ac Vitepsciam Prouincias vastauit: arcibus diu irritâ oppugnatione tentatis. Atrocior in captiuis strages edita. Sigismundus Rotth Silesius, quòd obligatam non semel Polonis fidem violâsset, sacrilegij pœnas in amne Suienta submersus eluit. Corybutus, sparso rumore in vulgus quòd ex vulneribus obijsset, veneno extinctus. In Iaroslaum Linguenium nepotem Iagelonis, Ducem Misciflauiæ, Ioannem Volodimiri Principem Kiiouiæ, Michaëlem Lwowicz Wiazmæ Ducem, ac reliquos proceres (quadraginta capita erant) vario pœnarum genere sæuijt Sigismundus, perduellionis vindicandæ prætextu. Cæterùm ea res demùm Sigismundo perniciem accelerauit maximè, sæuiendique simul, ac imperandi, citò finem fecit.

Sigismūdus in captiuos sæuit.

Nondum victoriam ita fama vulgauerat; vt Germaniam

Sigismūdus Cæsar

niam peruagaretur. Nihilominus Sigismundus Cæsar, A.1435. siue quòd suspectam Boleslai fortunam haberet, siue tegendi animi studio, Ladislai Regis amicitiam ambire cœpit. In Lituaniâ Boleslaum promissis auxilijs stimulabat, ne repetendi Principatûs aut curam, aut spem deponeret: in Poloniâ Ladislaum Regem per legatos hortabatur, ne cruentum in visceribus Reipublicæ bellum permitteret, remedium fraternis odijs non apponendo. Rex Boleslao offensior, sed neque Cæsari admodum æquus, cuius amicitiam vltra verba nihil habere non ignoraret, acriùs legatis responderi iussit. Regem, maiore, quàm Cæsar opinaretur, curâ eius belli tangi. At Boleslao eam contumaciam esse, quæ rectis consilijs flecti nequeat, ideo ferro ac vi necessariò domandam. Oraculi speciem responsum regium habuit: priusquàm enim legati à Rege discederent, nuncius de profligato Boleslao, deletisque vnà cum Ducibus Liuonum, Silesiorum, Bohemorumque auxilijs, venit. Minores inde longè Cæsari, ac Crucigeris in Prussiâ, animi, atque expeditior ad pacem via. Post breues admodum nuper in Autumno concessas inducias: nunc iniquioribus longè sibi conditionibus, quàm quas fuerant A.1436. aspernati, fœdus cum Ladislao Rege, & Sigismundo Lituauiæ Magno Duce, libentes percusserunt: quietus itaque is & proximus annus Polonis fuit; at non æquè Lituanis. Rex Rempublicam nactus pacatam, curas intendit ne quid religio vel ab Hussitarum vicinâ Poloniæ sectâ, vel à Græco per Lituaniam & Russiam

ac Crucigeri pacem cū Polonia ac Lituania instaurant.

Rex Ladislaus inquisitorem fidei instituit.

 Schisma-

A. 1437. Schiſmate, detrimenti pateretur. Poteſtatem ergo quærendi in eiuſmodi rerum ſacrarum nouatores Nicolao de Lanciciâ, Ordinis Prædicatorum, demandauit; qua liberè per vniuerſas Regni ac Magni Ducatûs Lituaniæ Prouincias fungeretur.

Polocia, Vitepſcia, Smolenſcū Suidrigeloni adimuntur. In Lituania Polocenſes, Vitepſcenſeſque pertinaciùs Boleslai factionem ſecuti, trahere bellum conſtituerant, donec Boleslaus vires colligeret. Verùm diuturnæ obſidionis malis fracti redierunt ad Sigiſmundi obſequium. Smolenſcum quoque incredibilis fames ſubegit: cùm non modò à canibus, humaniſque cadaueribus promiſcua plebs, ſed ne matres quidem à filijs temperarent; mutuiſque inter ipſos fratres cædibus impia fami hoſtia quæreretur. *Suidrigelo ad Regem confugit.* Boleſlaus extorris propè iam totâ Ruſsiâ, poſt auxilia vbique deſperatis rebus mendicata, nullibi reperta, tandem Cracouiam venit, Regis Polonique Senatûs clementiam imploraturus. Apud memores præteritarum noxarum, vix quidquam habitu ſupplici, profeciſſet: vt ergo preces pondus haberent, beneficium adiecit. Luceoriam ac magnam Volyniæ partem, de quibus tantâ hactenus Polonos inter ac Lituanos contentione actum fuerat, ſuâ ſponte Polonis reſtituit. Luceoriâ per Vincentium de Samotulij receptâ non ſegniter Senatus Polonus pro Boleſlao apud Regem inſtabat. *Rex eum Sigiſmūdo conatur reconciliare.* Rex ex Senatuſconſulto amplißimam legationem ad Sigiſmundum decreuit. Principes legationis fuerunt Gneſnenſis, & Cracouienſis Antiſtites, Caliſsienſis, & Sendomirienſis Palatini.

Egerunt

Egerunt illi prolixè Ladiſlai nomine. Eam, dicebant, A. 1432. decrepiti exulis fortunam iam eſſe, quæ hoſtes, nedum fratrem, ad commiſerationem moueret. Non decere verò maiora odia fratris eſſe, quàm hoſtium. Non Principatum, non amplas Prouincias, ſed angulum in patria, in quo Regum frater, ac patruus, ipſiuſque Lituaniæ Princeps natus, reliquum vitæ priuatus exigeret, poſtulare Boleſlaum. *Sigiſmundus cōtradicit conſtanter.* Infractus ad ea Sigiſmundus, Superos, homineſque teſtari, intempeſtiuâ Regis clementiâ Rempublicam prodi: notum ſibi eſſe Boleslai ingenium; cui nihil omnino de ferocia anni detraxiſſent: rebelles eius ſpiritus, etiamnum in miſera fortuna, ac propediem morituro corpore, viuidos manere: ſatis ad periculum Lituaniæ eſſe; quòd Boleslaus viueret: ſi ingredi eam permittatur; nihil certius eſſe, quàm fore, vt inteſtinis bellis pereat. Se quidem conſtantem eſſe in obſequio ac fide erga Regem: at ſi rem tanti diſcriminis pergeret pertinaciùs vrgere Rex, citiùs fœdera omnia reſciſſurum, quàm parricidam Patriæ, intra eius ſinum, recepturum. Rogare itaque legatos, vt ea Regis nomine poſtularent, quæ aut ſaluâ Republicâ concedi poſſent, aut fœderibus intactis negari. Victi conſtantiâ Sigiſmundi legati, operam tranſtulerunt ad confirmandum Sigiſmundum, ne quid in veteri fœdere innouaret. Nouis itaque tabulis Sigiſmundus ſtabiliuit, vt ex antiqui fœderis forma, ſe mortuo Principatus Lituaniæ Regi cederet: quin & Palatino Vilnenſi Dougirdo permiſit, vt coram legatis fidem ſuam iuramento obſtringeret,

A.1437. geret, neminem à Sigiſmundi morte alium, quàm Regem eiuſque hæredes, intra arces Vilnenſes admiſſurum. De Luceoriâ ita conſtitutum eſt, vt intereà Sigiſmundo reſtitueretur, eo vitâ functo, Regijs poſſeſsionibus cum vniuerſa Volyniâ adiungeretur. Ita Boleſlaus Suidrigelo, totâ patriâ, quam tot malis afflixerat, eiectus, in Daciam exulatum abijt. Redditâ verò pace per Lituaniam publicâ, religio quoque refloruit. Iſidorus Kiiouienſium Antiſtes hoc anno renunciatus, per vniuerſam Ruſsiam, obſequium erga D. Petri ſedem, concordiamque cum Romanis Religionibus mirâ eruditione, ac virtutis opinione, vehementer promouit. Mors deinde Sigiſmundi Cæſaris, quæ exeunte hoc anno contigit, nouis in ſequentem annum turbis occaſionem dedit.

Suidrigelo in exilium abit ad Dacos.

Iſidorus Metropolitanus Kiiouiēſis celebris.

A.1438. & A.1439. Bohemorum aliqui Albertum Auſtriacum, alij ac præſertim Taboritæ nuncupati, Caſimirum Iagelonis iuniorem filium Regem Bohemiæ elegerunt. Caſimiri partes tuendas Sigiſmundus Lituaniæ Princeps ſuſcepit. Obſtabant vehementer Poloni Ordines; ne Caſimirus regnum admitteret: ex aduerſo Sigiſmundus, quòd Iageloniam domum ſpecioſis exterorum titulis à Lituaniæ ſucceſsione auertere optaret, filioque ſuo eum Principatum firmare, perſuaſit Regi, ne, vti dicebat, fratri diadema Regni Bohemiæ inuideret. At cùm res Caſimiri tardiùs in Polonia expediuntur, Archidux Albertus Pragam ingreſſus, Rex Bohemiæ eſt inauguratus: ita vlteriores pro Caſimiro conatus ac ſpes, feſtina-

Caſimirus Iagelonides Rex Bohemiæ eligitur.

tione æmuli ſunt præciſæ. Coacta deinde ſunt Petricouiam comitia, in quibus, quia Ladiſlao Regi quintum ſupra decem tranſgreſſo annum, amotis tutoribus, plena ac libera regni adminiſtratio permiſſa eſt; fœdera cum Lituanis inſtaurari de nouo neceſſe fuit. Sigiſmundus pace vndique ſtabilitâ, æmulo ex Lituaniâ exacto, præcipuis quorum opes ac potentiam formidare poſſet nuperâ victoriâ ſublatis, ſecuritatem dominandi, in vitiorum materiam vertit. Auaritiâ ſimul ac crudelitate, vtraque labe Principibus periculoſiſsimâ, apud ſuos intolerandus, apud exteros infamis. Poſt addicta non pridem fiſco, Moniuidi ac Rombowdi ampla patrimonia, ſenſim ei prædæ inſueſcere: opulentiſsimi cuiuſque fortunis inhiare: ſi cupiditati pudor aut metus aliquorum frenum iniectaret, in eorum vitam occultè graſſari. Atque vt auaritiam, non diu morata eſt ſua comes crudelitas: ita crudelitatem, citò ſubſecuta mater ſuſpicionum metus: quibus miniſtris Principatus Sigiſmundi in Tyrannidem prolapſus eſt. Nemini fidere; apud quos aliquid potentiæ videret, eos vt ſuſpectos cauere: quos ipſe nullâ causâ ſuſpectos ſibi feciſſet, vt hoſtes perſequi. Georgium Linguenium Miſciſlauienſium Ducem patrimonio ac rebus omnibus exutum, carceribus Trocenſibus addicit: Alexandrum Slucenſem, Kopyſi cum vniuerſa familia captum, Kiernouiam relegat: coniugem eius cum filijs Simone ac Michaële Vcianæ priuatam vitam agere cogit. Plures falſis criminibus ſuo iuſſu accuſatos, reos capitis peragit.

A.1439. Fœdus Lituaniæ cū Polonia inſtauratur.

Sigiſmundus in pace auaritiâ & crudelitate infamis.

Tyrannidem exercet.

A.1439. git. Ipſe omnibus execrandus, omnes metuit, etiam infimos. Si quando de palatio proſpectans in ſubiectam aream, aliquos amicè colloqui aduertit, de ſe agitari ſermones ſuſpicatus, niſi ſinguli ſeorſim interrogati concordi reſponſo calumniam refutâſſent, vt rebellionis reos in propinquum lacum mergi iubet. Auro omni ac re familiari pretioſâ damnatorum procerum in regiam ſublatâ, vacuas opibus poſſeſsiones, atque arces, inter agaſones ac ſimilis ſortis homines, diſtribuit. Nullum tolerat, qui aliquid non eius arbitrio, ſed aut Superiorum Principum beneficio, aut ſanguinis iure poſsideret. Deniquead eam animi immanitatem deuenit, vt conuocatis in vnum Ordinibus, quos vellet, ad cædem deligere deſtinauerit: atque eo conſilio Trocos comitia indixerit.

Principes exſcindere decernit.

A.1440. Proceres, qui non procul Trocis agebant, primi ſubolfecerunt, ſuâ ac Reipublicæ fortunâ, parricidalem Principis inſaniam; atque eius ipſius cæde ſcenam ab eo paratam, terminare ſtatuunt. Ante alios Ioannes Dux Czartorijiſci, Lubarti Gediminiadæ filius, vir animo fortis, manuque promptus: quid furiarum Princeps animo verſaret, Dougiordum Vilnenſem, Leluſſam Trocenſem, Palatinos edocet. Collatis deinde in commune ſententijs, Suidrigelonem è Daciâ celerrimis nuncijs euocare, Sigiſmundum ferro tollere, Michaëlem eius filium Vilnâ Trociſque excludere, decernunt. Non admodum factu ardua reliqua erant. Sigiſmundum ex concepti ſceleris conſcientiâ, ad omnia trepidantem

Conſpirāt proceres contra Sigiſmundū.

dantem cautumque, nanciſci ad cædem; hic labor futurus erat. Non adſcitis è curia coniurationis ſocijs, vix aliquid ad votum euentûs, ſperari poterat: adſciſcere autem, vt fluxa eſt curialium fides, indicij intempeſtiui metus prohibebat. At quid vnquam audere poſſis, niſi multa contemnas? Ioannes cæterique coniurati, Skobieykonem Kiiouiâ oriundum Stabuli Magiſtrum, promiſſis adoriuntur. Ne horreret eius facinoris ſocietatem, cuius, ſi cum ſcelere à Sigiſmundo deſtinato conferatur, non modò nulla fœditas eſſet, ſed etiam plurima ad poſteros ex ciuibus ſeruatis, vindicatâque Patriâ, gloria. Suâ ſe ſententiâ Sigiſmundum ad mortem damnâſſe, qui viuere aliter nollet, quàm Lituaniâ excisâ. Aut omnibus, aut illi moriendum eſſe. Ex inſolentis vtrimque facinoris oblatâ ſpecie, ſubito horrore velut gelidâ perfuſus Skobieyko, vbi ei ex commiſeratione ciuium, odium Principis pectus occupauit, ſecretum, operamque coniuratis addixit. Conſtitutus cædi dies, quem Chriſtiani faſti *Palmarum* nuncupant. Pridie ſexcenti armati trecentis curribus fœno onuſtis occultati, ſub noctem arci inuehuntur: quos Skobieyko imminentes tenebras cauſatus, eo veſpere exonerari prohibet. Coniurati, ne frequentia ſolito maior ſuſpicioni anſam daret, cum exiguo comitatu ciuitatem varijs vijs intrant. Sequente die, ingens erat ſolitudo circa Principem: cùm quiſque quantùm à ſuſpicionibus abeſſe vellet, tantùm aulam vitaret. Michaël quoque filius ſacrorum causâ ad templum digreſſus cum aulico A.1440.

Dominicā Palmarū inſidias ſtruunt.

A. 1440. aulico comitatu, propè solum in palatio Parentem reliquerat. Ioannes, cum socijs aulicorum more manè admissus, liberè ante Principis palatium inambulans, in occasionem intendebat. Neque ea tam facilis, vti sperabat, fuit. Nam quòd suspecta omnia haberet tyrannus, occlusis ianuis, in interiore cubiculo, sacris operanti Sacerdoti aderat: verebantur autem coniurati, ne si vim ianuis inferre cœpissent, tumultu excitus Sigismundus in tutum se reciperet: nec leuior metus erat, ne mora spem perficiendæ rei eluderet. Cùm inter ancipites dubiasque curas nihil audent, casus fatum Tyranni maturauit. Cicurem ille vrsum, canis vice, ad custodiam sui alebat: qui è cubiculo Principis emissus, cùm rediret, portam vnguibus infestando, cubiculo præfectos commonebat, vt intromitteretur. Eum fortè conspicatus in area Ioannes, ad bestiæ morem, vnguibus palatij ianuam radere cœpit. Custos ianuæ, vrsum ratus ad Principem, vt solebat, reuerti, portam aperit: coniurati eo comprehenso palatium claudunt, armati è fœno coorti omnes arcis aditus occupant, Ioannes cum paucis in cubiculum Principis irruit, exprobratisque Procerum cædibus, atque eâ, quam comitiorum prætextu instructurus erat tragœdiam, aliquid loqui conatum Sigismundum collo atrepto in terram prosternit, inermis enim venerat, vt suspicionem vitaret. Tum Skobieyko ferreum è propinquo foco tridentem, magno impetu capiti prostrati illidit, cæterique varijs vulneribus conficiunt. Solus è cubicularijs Slauco, in semia-

In Palatiũ irrumpunt, ac Principem trucidant.

semianimem Principem prostratus, suo corpore vulnera auertere conabatur: at is à Ioanne abstractus, atque de fenestrâ præcipitatus est: dignus nobiliore fato, ob relictum posteris fidei in herum, exemplum. Ad primum tumultûs rumorem, oppidani ad arcem confluere cœperant: sed ab armatis exclusi sunt. Michaël trepido nuncio præmonitus, properè in minus castellum, aquis vndique circumfusum, se recepit. Cæso Principe vexillum de turri prolatum est, in libertatis ac securitatis signum, ne quisquam sibi metueret à coniuratis. Inde consilijs ad excludendum Michaëlem collatis, Lelussa valido præsidio, Trocos occupat; Dougirdus Vilnam festinat. Conueniebant intereà euocati ad comitia Proceres, quæ Princeps destinâsset, quæúe in eum acta essent, prorsus ignari. In viâ acceptus de patratâ cæde nuncius, dubium est, lætiorne an tristior fuerit? Nam vt sublato Sigismundo quisque securior, metûs continui materiam subtractam lætabatur: ita omnes Boleslai Suidrigelonis fortunam, in nouas spes assurgentem oderant, ac execrabantur. Boleslaus verò, iam ante, coniuratorum nuncijs præmonitus, magno silentio ex Daciâ digressus, in Lituaniam properabat. Nunciabatur eum inopinatò Luceoriam odortum cepisse, donatisque libertate nobilibus, quos in vincula Sigismundus compegerat, non mediocriter vires auxisse, atque propediem affuturum. Vbi Trocos conuenerunt ordines, auctoribus Gastoldo, & Kieyzgailone, decreuerunt, vt apparatu, quo posset maximè splendido parentaretur

A. 1440.

Ordines ad comitia euocati.

Occiso parentant sumptuosè

 rentaretur

A.1440. rentaretur Sigiſmundo. Indignum enim erat, aut coniuratorum odia morte non finiri, aut expertes coniurationis, criminis eiuſdem ſocietate pollui, ſi in exanimem iras exercerent. Vilnam itaque deductum corpus, ac magnificè ad funus elatum, frequens populus Senatuſque, eodem cum Vitoldo fratre, tumulo, condidit. Non Principis modò cæde, ſed priuatorum etiam clade funeſtus hic annus fuit. Poſt proximæ hyemis ingentia ac ſolitò diuturniora frigora, lues primùm inter pecora vulgata, mox incredibilis inter mortales fames, extremè miſeram plebem afflixit. Qui ſiccatis arborum folijs, ac contuſis, panem ſibi conficiebant, lautiùs veſci videbantur: cùm alij ne ab humanis cadaueribus ſibi temperarent. Multi in profundis ſyluis ad ferarum latebras penetrabant, vt ſe ſuoſque, à quibus præ fame vix ipſi abſtinebant, beſtijs lacerandos obijcerent. Subſecuta eſt deinde tanta in canibus feritas, per Albam Ruſſiam, vt obuios quoſque inuaderent, dilaniarentque.

Fames grauis per Lituaniã.

LIBER

A.1440.

LIBER V.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Caſimiro II. Iagelonide.

CÆſo Sigiſmundo, multa turbarum materies, domi foriſque concreuit. Boleſlaus Mazouiæ Dux Podlachiam aggreſſus, Mielnicum, Bielſcum, Drogicinum, occupauit. Proceribus verò Lituaniæ, nulla interim tuendorum finium cura: quos, pro nouo Principe ſtudia, in diuerſas contentiones diſtraxerant. Clientes Sigiſmundi, quorum princeps Narbultus, cum Samogitis, Kieyſtutianæ domui ſemper addictis, pro Michaële agebant. Conſcij coniurationis, tum ſpe præmiorum apud Sigiſmundi æmulum, tum vt quæſtionum metu ſe abſoluerent, pro Boleſlao exule, connitebantur. Vtrique publicæ rei obliti, præſentibus, priuatiſque ſolùm agebantur commodis. Qui extra vtramque factionem erant, cogitationes in futurum extendere, atque ex præſente rerum ſtatu vlteriores viciſſitudines animo præcipere: penſare, quantùm ab ipſo Iagelonis in Poloniam abitu, Reſpublica detrimenti accepiſſet? Interiores Prouincias imperium ambientium potentiâ in dies fœdiùs affligi; finitimas fœderum prætextu magnâ contentione repeti: ab Rege verò quod & abſens eſſet, & Polonis ex be-

Dux Mazouiæ Podlachiã occupat.

Primorũ Lituaniæ circa nouũ Principem ſtudia.

 neficio

A.1440. neficio accepto obnoxius, nihil posse prouideri, quod ad remedium tot malorum, satis esset. Iam non alium retinendæ Reipublicæ modum superesse, quàm qui eius augendæ fuisset: electo nimirum eiusmodi Principe, qui liber alijs curis, solutusque alieno imperio, solius Magni Ducatûs integritati præsens prospiceret. Hæc sermonibus, atque literis inter Magnates & nobilitatem vulgata, non paucos aut in Alexandrum Slucensem Ducem, aut in alterutrum eius filium inclinauerant. Præualuerunt tamen eorum consilia, quibus Iagelonij sanguinis, Polonorumque fœderum, maior æstimatio erat. Ac Moniuidus quidem, cum Gastoldo, & Ostico impensè agebant, vt ex sacrâ fœderis Polonici formâ, Rex ipse Ladislaus, Princeps renunciaretur. At, qui metuebant, ne Regis imperium plus obesset, quòd Hungariæ Regno nuper suscepto, à Lituaniâ tanto interuallo auulsus, neque de periculis in tempore doceri, neque consilia expedire posset, vehementer obstiterunt, ne Regis ratio haberetur. Post multam concertationem, tandem auctore Holsano Duce, Georgio Algimundo in Casimirum Ladislai Regis fratrem plerique consensêre. Reliquos in eorum sententiam facilè permouit metus, ne procrastinando, Rempublicam Michaëli proderent. Indicta igitur quàm primùm Brestiam comitia: quòd is locus, & Casimiro propior esset, & à reliquarum factionum capitibus remotior. Missi quoque primariæ nobilitatis ac dignitatis fratres, Michaël & Ioannes Kieyzgailo, qui Casimirum ad occupandum

Casimirus Iagelonides Magnus Dux Lituaniæ eligitur.

dum maturè Principatum Brestiam inuitarent: vrgerentque præsentes, ne quid iuuenis, è Polonorum consilio, morarum necteret. Ea enim quæ inter festinandum præteriri viderentur, posse deinceps apud fratrem excusatione reparari: at momenta, quæ inter procrastinandum elaberentur, nequaquam reuocari posse. Aberat enim tunc Rex Ladislaus Hungarico contra Turcas bello intentus. Casimirus verò cum designatis Polonorum primoribus Sendomiriæ agebat. Auidâ satis aure, appetens eius fastigij iuuenis, legationem accepit: ne tamen pro iuuenili ardore præcipitaret responsum, præsentium moderatorum auctoritas obstitit. Recens enim nimis erat memoria, fœderum nuper cum Ladislao instauratorum: quibus decedenti Sigismundo, Rex Ladislaus successor designabatur. Quare inuitis Polonis, Casimirum Sendomiriâ Brestiam clàm abiuisse apud Lituanarum rerum scriptores reperio. In Polonâ verò Historiâ proditur, ita Polonos cum legatis transegisse, vt Casimirus in Lituaniam iret, eamque Fratris nomine administraret, non vsurpatis Magni Ducis titulis. Vtrouis modo res euenerit, id omni dubio procul est: nisi Casimirus properâsset, plus damni, & Regem, & fœdera fuisse passura; si alterius factionis Princeps, imperium armis inuasisset. Expectabant Brestiæ Casimirum frequentissimi primores, ac præsertim qui à Magnis Lituaniæ Ducibus genus suum ducebant, Algimundi, Dowmandi, Moniuidi, Sanguszkones, Corybuti, Coryati, cæterique viri Principes. Ab ijs, insolitis lætitiæ

A.1440.

Brestiam per legatos inuitatur.

Brestiæ recepto ordinum iuramento Vilnâ deducitur.

A.1440. titiæ, honoris, concordiæque argumentis acceptus Casimirus: recepto ab Ordinibus constantis erga se fidei ac obsequij, iuramento, ipsâ rei tam properè ac feliciter confectæ famâ, æmulos à susceptis conatibus deiecit. Boleslaus enim, veritus ne aliquid grauius in caput suum decerneretur, rursus Luceoriâ in Daciam abijt. Michaël autem accepto nuncio, Casimirum cum flore Senatûs ac Equestris Ordinis, Vilnam Brestiâ tendere, desertâ Trocensi arce, Mazouiam versùs cum quingentis equitibus se contulit. Verùm fortuitò planè accidit, vt in viâ haud procul oppido Rudniki, inter syluas, in Casimirum euntem incideret. Ancipiti perculsus euentu, ne tentatâ fugâ deteriorem suam causam redderet, equo desilit, atque Casimiri pedibus aduolutus, eum Lituaniæ Magnum Ducem salutat, neúe aut parentis cæsi manes inultos sineret; aut se qui totus in eius potestate esset, parricidis proderet, supplex postulat. Acceptum auditumque cum perquam benignè Casimirus, optimâ spe plenum, liberum abire permisit: ipse Vilnam contendit; vrbemque, ex surgente publicæ salutis spe, & eius conspectum auidiùs concurrente, magnâ frequentiâ est inuectus.

In viâ Michaëli casu occurrenti ignoscit.

Hîc rursus Polonis Lituanisque concertandum fuit: negantibus constanter illis, posse Casimirum Magnum Lituaniæ Ducem, saluis fœderum religionibus, inaugurari, quem Ladislaus Rex, solo Gubernatoris titulo, sui loco, Lituaniæ præfici permisisset. Desperato Polonorum consensu, dissimulant negotium Lituani, atque consultò

Polonis inuitis Magnus Dux Lituaniæ Vilnæ inauguratur.

consultò remissâ omni contentione speciem mutatæ sententiæ faciunt. Cessantibus æmulis, suâ sponte ardor Polonorum deferbuit, vt inde negligentiùs longè, in Senatûs Lituani, ac Principis actiones, intendere cœperint. Nolebant Lituani contradicentibus publicè Polonis sua agere, veriti ne quid contra Principis ac Reipublicæ dignitatem contingeret: quare negligentiâ potiùs eorum in rem suam vtuntur, atque Polonis omnia alia sperantibus Casimirum ab Ordinibus ad templum D. Stanislai deductum, à Mareschalco Magnum Lituaniæ Ducem renunciari, ab Antistite Vilnensi, solitis ritibus inaugurari curauerunt. Tum primùm negotium iam peractum esse, Poloni resciuerunt, cùm in publicum festiuitatis argumenta dari, audiuerunt. Circumuentos se itaque queri: fœdera, iurisiurandi religiones, Regis Ladislai Maiestatem, omniaque sacra, violata esse, protestari. Lituani ab aduerso, omnia fida, secura, salua, integra promittunt. Intelligerent porrò Poloni quid virium necessitati in leges ac fœdera humana esset. Samogitiamnè, pro Michaële armatam, gubernatori Lituaniæ obsequentem futuram fuisse crederent, quæ etiam inaugurato Principi, obsequium denegaret? An ab Albâ Russia fidem expectarent, quæ hactenus viribus suis, semper rebellium machinationes, contra legitimos Principes fouisset? Nassutamne Georgium, qui occupatâ Podlachiâ, pertractisque in Michaëlis nomen equitum procerumque plurimis, propediem victricia arma Lituaniæ illaturus esset, contemnerent? Quid

A.1440.

Polonis querentibus satisfit.

A.1440. Quid, si ipse Michaël circumspectis, quæ superessent, quasúe speraret, viribus, animos ac arma rursus sumat? putarentne, eos ipsos qui nunc latus Casimiri inaugurati Ducis frequentes stipa rent, vitæ ac fortunarum dispendia, pro Gubernatore subituros? Eo omnino statu Lituaniam deprehensam fuisse, in quo non Gubernatore, Vicariáque Regi potestate, sed proprij Principis præsentiâ indigebat. Non mirarentur, Lituanis, quos è propinquo pericula vrgebant, diuersam fuisse sententiam, ab eâ, quæ Polonis ex securo, consilia promentibus, probabatur. Sed neque Iagelonis memoriam, tam citò obliterari debere, vt filio eius, precarium ac nonnisi vicario iure imperium, in Lituaniam demandaretur. Si fortè aliquantùm necessitate ipsâ extra orbitam deuiatum sit, facilè Casimirum Ladislao fratri satisfacturum, neque permissurum, vt moderna acta, antiquis fœderibus fraudi sint. Poloni tamen constanter in sententiâ perstabant, omniq; studio prohibebant; quidquid à Casimiro fieri posset, ad firmandum eius Principatum: ne id quidem passi, vt Lituano idiomati, ad popularium animos deuinciendos pernecessario, insuesceret. Verendum proinde erat, ne cum tempore crescens contentio detrimenti aliquid adferret. Quare communicatis cum Senatu Lituaniæ consilijs, Casimirus Polonos proceres amplissimis donis ac promissis honoratos, in Poloniam relegauit.

Polonos proceres à se relegat.

Comitia indicit.

Ad componendum deinde Reipublicæ statum conuerso studio, comitia Vilnam maiore frequentiâ peragenda

genda indixit. Intereà aulæ suæ Magistro, Ioanni Gastoldo negotium commisit, vt Podlachiam ab hoste purget. Gastoldus Rempublicam egregiè gessit: non solùm Nassutam, nullibi opponere armatos audentem, eiusq; præsidia, sed etiam Duces Mazouiæ exegit. Pacatâ eâ orâ, plus quietis fuit ad comitia peragenda: multos tamen solicitos habebat, ne quæstione in Sigismundi occisores institutâ, turbis daretur occasio. Præsentes Senatui, Dougerdum & Lelussam, odium facti maximè premebat. Dougerdus quidem opibus atque clientelis præpotens, postquam solâ negatione innocentiam Ordinibus probâsset, nemine ampliùs, crimen obiectum probare audente, vt ab eo alieniorem se ostenderet Lelussam acriter insectatus est, quòd in arce sui Magistratûs, Principem trucidari permisisset. Nihil tamen grauius in Lelussam decretum, præterquam quòd Senatu sit motus, Trocensi Palatinatu in Gastoldum translato. Ioannes Dux Cartoriysci absens damnatus, possessionibus exuitur: verùm in eum non tam vindicandi Sigismundi studium Senatum ac Principem accenderat; quàm ira, quòd gazam eius direptam, fisco inferre contumaciùs recusaret. Tanta moderatio sententiæ, multùm nouo Principi fauoris apud vniuersos collegit: cùm summi æquè ac infimi, timere tantùm Principem hactenus assueti, Casimirum mirari, amareque virtutis eius æstimatione cogerentur. Absolutis comitijs pacandæ Russiæ Gastoldum præfecit. Abiturus nuper Gastoldus in Lituaniam, Andream Sakowicz cum

A.1440. Podlachiã recuperat.

Quæstionẽ in parricidas instituit.

Gastoldũ ad domãdam Smolenſciam mittit.